

Daniel Lippius

**M. Danielis Lippii, Lübecensis: Wismariensis Scholae Perbiennium Circiter  
Correctoris: Oratio De Pii Et Fidelis Humaniorum Studiorum Praeceptoris Publici  
Conditione : Publice In Lyceo Wismariensi praesente splendida Procerum  
Civitatis Corona, cum Con-Rectorati suo Wismariensi Valediceret, habita. Cui  
addita sunt Testimonia Maxime Reverenda Facultatis Theologicae  
Rostochiensis Et Magnifici Senatus Wismariensis**

Rostochii: Richelius, 1677

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746888732>

Druck    Freier  Zugang





MK-13396. (1)





Inhalt:

- Crudopius, De laude historiarum. Oratio hab. in schol. Wism. 1624.
- Lippius, De .. praceptoris publici conditione. " " 1677.
- Grusenberg. et Eckhorst, Oratio Alexandri Magni ex Curt. 8,2 diducta. 1692.
- Reimerus, Primitiae Wism. h.c. orationes II .. 1723.
- Schomerus, De varia Augustanae conf. fortuna. 1730.
- Nitke, De mentis humanae divinandi facultate. 1744.
- Schomerus, De optimo principe. 1744
- Rönnberg, Ver. Gedanken von den Ursachen der Elektricität. 1746.
- .. Ausmessung der Faesser. 1747.
- Nitke, .. Röm. VIII, 18.22. 1751.
- Tenso, De deteriori schol. conditione. 1754.
- .. Ankündigung einer fecr. Huldigungs Redi. 1754.
- .. Cato scenis non agitandus. 1758.
- " .. Von den alten Deutschen. 1768
- " .. (Carmen invitationis) 1765.
- " .. (Carmen memor.) 1774.
- Einladungsprogramm. 1799.
- " 1801. (Groth, Verbindung der Bürger- a. gelehr. Schulen.)
- " 1804.
- " 1805.
- " 1809.
- " 1810.
- " 1814.
- " 1817. (Groth, Luther über Erziehung.)
- Grün, Carmen saeculare. 1817.
- " 1818.



2  
M. DANIELIS LIPPII,

Lübecensis:

WISMARIENSIS SCHOLÆ PERBIENNIVM CIR-  
CITER CONRECTORIS:

ORATIO  
DE PII ET FIDELIS  
HUMANIORUM STU-  
DIORUM PRÆCEPTORIS  
PUBLICI CONDITIONE:

Publicè

In Lyceo WISMARIENSI præsente splendi-  
dâ Procerum CIVITATIS Coronâ, cum Con-Rectorati suo  
Wismariensi VALEDICERET, habita.

Cui addita sunt Testimonia Maxime Reverenda  
FACULTATIS THEOLOGICÆ ROSTOCHIENSIS  
Et Magnifici  
SENATUS WISMARIENSIS.



ROSTOCHII



Typis JACOBI RICHELII, Sen. Typog.  
Anno M DC LXXVII,

*MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
ET AMPLISSIMO DOMINO,*

**DN. SAMUELI PO-  
MARIO,**

S. S. Theolog. D. Celeberrimo,  
ECCLESIARUM LUBECENSIVM SUPERINTENDEN-  
TI MAXIME VENERANDO, DOMINO, PATRO-  
NO, AC FAUTORI SUO  
*Ætatem observando:*

*Nec non*  
**ADMODUM REVERENDO ET CLARISSIMO  
VIRO**

**DN. JOACHIMO  
WENDIO,**

S. AEDIS CATHEDRALIS LUBECENSIS ARCHI-  
DIACONO OPTIME MERITO, DOMI-  
NO FAUTORI SUO COLENDO :

Hanc Fidei & Pietatis in Functione  
Scholasticâ conditionem

*inscribit,  
dedicat  
consecrat*

**M. DANIEL LIPPIUS,**  
WISMARIENSIS SCHOLÆ PER  
BIENNIVM CORRECTOR.

Eis ſeouga & 1558.

MAGNIFICI, PRÆNOBILES, PLURIMUM  
REVERENDI, AMPLISSIMI, PRUDENTIS-  
SIMI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI,  
DN. AUDITORES.

Domini, Patroni, Fautores, Collegæ, maximo opere pro  
discrimine ac ordine observandi, colendi, honorandi;

Tuq; Politissima ac Carissima Studioſæ Juven-  
tutis Corona.

**D**efſcrutanti atq; exploranti mihi hujus WISMARIENSIS  
ingeniorum, ac Juvenum Palæstræ, intimorem, ſibiq;  
Spræ aliis fermè propriam ac peculiarem conditionem,  
non vulgaria, nec trita ejusdem ex imis animi recessibus aſtiman-  
dæ, ex qvæſitísq; laudibus evehendæ ſeſe obtulere documenta.  
Qvod ſi enim Magistratū ſolertissimum, optimumq; in ordinem  
hunc affectum, propenſionemq; rectâ mentis agitatione tecum-  
pensites, ſplendissima prolixissimi favoris in universum cùm do-  
centium, tûm diſcentium cætum lux oculos tuos circumfundet.  
Enim verò iſtituentium ſortem abjectiſſimo mentis & oculorum  
deſpectu non proteri, nec in anguiſias contemtiſſimi, & à civili  
honoratorum Viſorū conſuetudine remotiſſimi ſtatūs diſpellī,  
ſed benivolentiſſimā facillimaq; familiaritate videas excipi atq;  
ornari. Nec Reverendorum plurimū ac reverendorum Eccle-  
ſiæ Ministrorum conſpicua alieni, fastidientisq; animi, led eviden-  
tiſſima honoris, amicitiæ, ac cariſſimæ conſuetudinis ſpecimina li-  
cet obſervare. Civium ornatissimos tribus decorâ existimatio-  
ne ac cultu qvôdam hanc ſocietatis ſuæ particulam proſeqvi, non  
absq; ſvavi mentis approbatione deprehendas. In peragendis  
Sacris, ac templorum ceremoniis ac ritibus condecorandis non  
per diſſita aedis ſacræ loca, ſed unius chori congreſatione Iuven-  
tutem ſvavifſimos hymnos modulari, & ad ætatis ſuæ diſcrimen  
agnoscendum, Sermonisq; Sacri mysteria percipienda aptâ ſub-  
ſelliō ſegregari experiaris. Exequiarum & funerum pompa, ac  
ornamentis decentibus, non parvum cumulum accedere, Schola-  
ſtice ſeriei ordine ac partibus, omnibus & ſingulis tam generis &

copiarum lautitiâ eminentibus, qvam tenuioris fortunæ discipulis  
nullò exempto comitantibus, & Savissimâ cantionum harmo-  
niâ decori non nihil addentibus, nemo intuens ibit inficias.

Non mediocribus verò laudibus efferenda privatorum Præcep-  
torum publicæ institutioni noxias corruptelas ac detrimenta, va-  
lidè ac constanter inhibendi, summorum etiam contra, & felici-  
tatis externæ abundantia florentium Virorum filios, publicæ in-  
formationi non subtrahendi consuetudo. Non latet enim du-  
bio procul Magnificum & Amplissimum Wismariensis Civitatis  
Senatum, omnem & in æternitate exspectandæ, & humanæ per-  
ætatis intervallum asseqvendæ beatitudinis dignitatem, primor-  
dia sua capere à Scholasticæ institutionis assexfactionisq; dexter-  
itate. Regnum enim illud, in qvô gubernando ipse cæli terra-  
rumq; Autor ac Imperator supremus, æternam suam residere  
vult beatitudinem, hæredum suorum semina ac surculos à Scho-  
lasticæ operæ accipit fructibus. Regnum, qvô per mundi hujus  
tempora gregem nomini suo fidelem sibi colligit Potentissimus &  
unicus Orbis Conditor ac Monarcha, radices primas agit in Scho-  
lasticorum laborum rudimentis. Civilis Statûs ac Politiae con-  
servandæ, dirigendæ, expoliendæ momenta haut mediocriter à  
Scholasticæ societatis doctâ & modestâ pendent assexfactione. Et  
rei familiaris juxta omnium donorum fontis ac scaturiginis DEI  
nutum ac mandatum, & rectæ rationis ductum administrandæ  
grave negotium studiis Scholasticis sua initia debet ac fulcimenta.  
Eqvidem igitur cum (qvod felix faustumq; esse jubeat Numen be-  
nignissimum) jam Scholæ Wismariensi ultimum VALE & animo  
& verbis declarare, fixum firmumq; mihi proposuerim, qvòd (si  
Sapientia ita visum fuisset Divinæ) nunquam primus & ultimus  
studiorum meorum scopus ad solam Scholasticam provinciam  
obeundam collimârit, argumentum dicendi à Scholasticò vitæ  
generè non remotum in spectatissimo hòc confessu promendum  
censui ac defumendum. Scholasticus itaq; cætus cum & Docenti-  
um & Discentium, Præceptorum & Discipulorum discrimine ab-  
solvatur ac inclusus sit, hâc vice de Præceptorum vel potius pii &  
fidelis humaniorum studiorum Præceptoris Publici conditione,  
verba

**verba sum facturus.** Qvod dum absq; luxuriantibus characteris  
ambagibus & affectatâ verborum abundantia pertexere stilô re-  
accommodatô conor, eâ qvâ par est, observantia, cultu ac huma-  
nitate à Vobis, AUDITORES O. O. Honoratissimi, etiam atq;  
etiam studiosissimè contendô, ut auribus mentibusq; benivolis  
ac humanis dicentem me attentè audiatis.

Pii & fidelis Humaniorum Studiorum Praeceptoris Publici  
conditionem paucis exposituri, non dissimulandum ceasemus,  
non esse sermonem jam de impii Morum & Studiorum Magistrî  
fortunâ: Fenestram enim vitiorum libertati, & impiorum des-  
ideriorum licentiae aperiens Institutior, lætissimam aliquandiu sor-  
tis externæ blandientis nanciscitur faciem, & juventutis cœcæ  
sensus pronostratq; arridentes. Sicut enim adolescentum indoles  
ad eo depravata, ut nullò modò depravatam se esse sentiat, nul-  
lius rei vehementiori desideriò flagrat, qvàm ut sibi in appetituum  
suorum perversorum indulgentiâ frenâ laxentur: ita nullum vi-  
tae suæ formandæ, atq; gubernandæ ductorem, prolixore pro-  
qvuntur affectu, nec majoribus ad cælum usq; efferunt laudibus,  
nec ardentera honoris ac jucunditatis blandimenta contestan-  
tur, qvàm ei, qvi cupiditatibus ipsorum feris ac effrenatis nullam  
aut exiguum injicit remoram atq; impedimentum. Morum e-  
nim impiorum ac virtutis curam anxiā non gerentium similitu-  
do, animos partis talis utriusq; svaviter conjungit, & ad amicam  
in sensuum illecebris perducit conspirationem. Qvibus enim  
aliâs non adeo insignis intercedit mentium consensus, hi adversus  
recti normam in noxiæ libertatis deviis solent esse concordes.  
Nec propositum est de infidelis vitæ studiorumq; juvenilium Mo-  
deratoris statu operam navare: Hic enim vel dotibus à Numinis  
benignitate ad Divinam gloriam propagandam ususq; hominum  
salutares sibi concessis, vel prorsus non utitur, & instar thesauri  
confossi ac luminis occultati abscondit, vel obiter negligenterq;  
ad cultus Divini, honestatis atq; industriæ ardorem calcar addit,  
& sic socors instituendorum educandorumve tarditas, negligen-  
tiâ Informatoris sui tranqvillè atq; otiosè acquiescit, sed talium

Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos.

A 3

Et

Et quoniam pigritia conservanda ac levitatis permittenda,  
vel minimum non sollicitè emendandæ methodus, propensioni-  
bus ipsorum corruptis mirum in modum grata est atq; accepta:  
isti suo manuductori externam honoris exhibent speciem, illius  
commoda pro loci & temporis occasione augent; exiguam ani-  
mi dissimilitudinem contestantem amore atq; gaudiō comple-  
tuntur, & celebritate famæ evehunt atq; exornant; qvām diu  
ignorantia ac errorum tenebris intellectus eorum est obfuscatus.  
Qvòd si verò aliquando ex caliginis suæ labyrinthis mediis extri-  
centur felicibus & regiam virtutis viam veræq; adyta sapientiæ  
consequantur, ejusmodi informandi assuetaciendiq; rationem  
instar orci portas non immerito solent exsecurari. Ast pii ac fi-  
delis Studiorum Humaniorum Præceptoris Publici conditionem  
ob oculos ponere est destinatum. Pii autem Studiorum Huma-  
niorum Præceptoris nomine nobis venit, qui omnem eruditio-  
nem suam sive Theoreticam, sive Practicam, sive Philologiae, sive  
Philosophiae placita spectet, sive qvæcunq; rationis excultæ pars  
sit, non sibi, non ingenii sui acrimoniae ac felicitati, non diligen-  
tiae, ac laboris sui contentioni, non cæcæ & superstitione cultu af-  
fectæ fortunæ, sed soli Divinæ clementiæ gratiæq; acceptam refert;  
nec ob doctrinæ ex rerum naturis comparatæ certitudinem atq;  
*ἀνεβαίνει*, de credendorum fidei dogmatum veritate scrupulis  
laborat, nec ob scientiarum suarum multitudinem dignita-  
temq; sublati animi est, spiritusq; gerit altos, rudioresq; fun-  
gos putat, sed omnem suam rationis emendatæ peritiam, seu  
ad jurismomenta, seu ad sanitatis conservandæ recuperandæ  
modum, seu ad Rerumpub. formas, seu ad virtutum præcepta,  
seu ad universalissimos rerum conceptus, seu ad naturalium cor-  
porum qualitates, seu ad magnitudinum considerandarum ratio-  
nem, seu rationis exercendæ artem, seu ad persuadendi faculta-  
tem, seu ad lingvarum, Poësos ac Historiarum cognitionem per-  
tineat, Divinæ peculiari revelatione nobiscum communicatæ vo-  
luntati submittit, & limitibus fidei Christianæ continet, atq; juxta  
normam ac cynosuram humani generis Servatoris Christi mode-  
ratur, atq; usurpat; nec non eruditiois suæ humanæ fastigium ac  
coronam

coronam Christianæ cedere patitur humilitati: ideoq; eò maxime contendit, cò summô studiô annititur, ut illorum, qui fidei ipsius commissi sunt, mentibus Timorem Domini, Sapientiæ haut suæ primordium, pietatem ac virtutes, à Sapientiâ æternâ in monumentis Sacris commendatas instillet, & cum Humaniorum, tum Philosophicarum literarum consulta sub revelati ordinis Divini esse jubeat Directione. Nec id tantum, quantum in ipsô est, agit, ut iidem præceptis institutisq; eruditionis abundant, nec saltem, ut externi coporis mores elegantiam præ se ferant, verum in primis etiam, ut interni mores animi solidâ ac beatâ imbuantur probitate, sedataq; ex virtute oriente componantur tranquillitate. Quid proflunt enim, Romanæ gentis prudentissimo Senecâ etiam judice, literæ nihil sanantes? Fidelem verò Studiorum Humaniorum Præceptorem illum voco, qui non honoris sui incrementa, cum aliorum contumeliis ac detractione anqvirit, qui non intentus est commodis suis augendis cum aliorum incommodis, qui non voluptatum suarum æstu incensus est molestissima qvævis aliis infligendô, qui non illegitimus etiam atq; turpibus mediis in animos aliorum influere, aliis contra molem odii conflare desiderat, qui non inanis suæ gloriæ ventis est inflatus, aliorum existimationem ac honestam famam maledicô dente lacerandô ac proscripendô: sed qvæcunq; consilis actionibusq; suis suscipit, in iis unicum Divinæ gloriæ, ac suæ curæ traditorum hominum, salutis scopum sibi habet præfixum. Nec in officiis negotiis transigendis cogitat de iis, qvæ saltem jucunditate aliquâ demulcent, nec langviore studiô partes suas exseqvitur, sed pro omnibus & singulis, à bonitatis omnis fonte ac origine in se derivatis viribus urget, qvibus muneric gratiâ obstrictus est, & qvicq; sibi in fidei ac regni cælestis modulô, qvicq; in rationis ac naturæ homini propriæ correctæ dotibus, qvicq; in sanitatis gradu felici, qvicq; in fortis secundæ ornamenti adjumentive, qvicq; vel ad honestum actionum regimen, vel ad dextrum sermonis usum, vel sanctitati ac voluntati Divinæ non repugnantem gestuum moderationem, vel mentis, Sapientiæ æternæ ac summae non displicentem, institutionem, à Numinis clementiâ collatum, id omne ad

Magni

Magni Dei laudes celebrandas, & juventutis veram nec commen-  
titiam salutem ac felicitatem augendam ornandamve adhibet,  
atq; desert. Nec fidelis ἐργοδιώκτης nomine ac proprietate priva-  
tur, si non omnibus divitiarum Divinarum donis circumfluat, in-  
terim qvibusdam ab universi hujus Autore expolitus est emolu-  
mento communis consilendi subsidiis, qvæ aliis, qvi fortè qvibus-  
dam, qvibus ipse est destitutus, instructi sunt, denegata, modò a-  
nimò, cujus DEUS rationem habet, fidei omnia, qvæ sibi mutuo  
data, in eos, qvi in ipsius manuductionem sunt traditi, non dubitet  
transfundere. Qvæ jam fidelis hujus & pii Humaniorum Studi-  
orum Præceptoris Publici conditio? qvis erga ipsum se gerendi  
modus solet observari? Animam si rectâ ratione reputes, hor-  
renda impietatis ac flagitorum adversus ipsum, ipsiusq; instituta  
atq; conatus insurgit tempestas. Videas ibi regni Satanici, regni  
Mundani, regni Carnalis exercitus ac integras copias πάνω πλία  
& arma sua acuere atq; producere; intellectum discipulorum,  
modum vivendi hujusmodi sui Præceptoris stupidum ac stolidum  
judicare, nec satis aptum atq; erectum ad imaginationis suæ atq;  
persuasæ sapientiæ, vel phantasæ potius erroneæ, culmina asse-  
quenda & gubernanda: imò ut suæ inflatæ opinioni nequaquam  
congruum falsè irridere: voluntatem à Providentiâ ac Sapien-  
tiâ infinitâ sibi missum ac præstitutum Educatorem, nullò modò  
debitâ amplexari obedientiâ, sed ipsius monitis atq; institutis præ-  
fractè atq; contumaciter viribus pro extremis repugnare: appeti-  
tum irascibilem vehementes, imò furiosos adversus mansue-  
tudinem ac sedatam quietem Spiritus DEI concitare motus: sen-  
sus omnia, qvæ à Docente in medium afferuntur, absone ac inepta  
existimare: gestus ad Pietatem & Divinam Prudentiam compo-  
sitos Magistri sui, mores risu dignos reputare, contra audaciæ,  
levitatis, insolentiae atq; impietatis speciem ostendentem  
jaestationem exercere atq; præferre: verba, linguæ juxta hu-  
militatem Domini nostri ac Magistri summi moderationem,  
prosperus ferre non posse, sed omnia, etiam sacra miseriam hu-  
manam exponentia, tumidissimâ ac superbissimâ voce tan-  
qvam ex Apollinis tripode dicta, buccinare: actiones, tran-  
qvilli-

qvillitati fideli, turbas atqve tumultus molestissimos ac petulantissimos obiicere, & summa opere altercationibus, rixis, atq; verberibus delestanti. Deum ipsiusq; tremenda veneratione ac reverentia colendum Verbum nescio qvibus infecant atq; violent, etiam inter ipsas preces, & sacras cantiones, contumelijis, blasphemis, proterviis. Erga alios in primis condiscipulos suos, continuas machinantur atq; agitant offensiones; ditiones lapides putant ac nihili pendunt cum rei angustia conflictantes; generis praestantia orti non respiciunt, nulliusq; pretii deputant ex obscuris natalibus descendentes; Corporis qvondam vigore, labore ac staturâ prævalentes, multum præ aliis eminere se arbitrantur; & nullam vicinos sive ignominia, sive detimento, sive tædiò affligenendi occasionem prætermittunt. In se ipsos, quantum possunt, & scientes & infici annituntur, ut thesaurum iræ Divinæ in se coacervent, violenter rejiciendò ea, unde exoptanda studiorum suorum cultura, & vita cum æternum exspectandæ, tum in tempore degendæ felicitas ac beatitudo dependet, contra tenerrimo amore fovent atq; asservant ista, qvibus in densissimis suis tenebris ac vitiorum foeditate magis magisq; intracentur ac confirmantur. Verbum Divinum, Pietas, Christianismus, Fides Christiana tantam averstationem ac fastidium apud ipsos pariunt, ut vel solum nomen invitis ac indignabundis auribus accipiatur: Et, si Dominus suo fideliter serviens Præceptor in inculcandâ commendandâ pietate præcipuam collocat provinciæ suæ administrandæ partem, crucem ipsis figere videatur. Nec tamen te solum, quisq; hodie in Scholis juventutem humaniorum studiorum elegantiæ deditam, ad serium Pietatis cultum inflamas, hic fumus mordet, sed jam olim sub primordiis novi foederis Ecclesiæ eadem fabula, vel tragædia potius est aëga. Nam veteribus Christianis apud Paganos ob solum nomen Christiani tanta tempestas odii impedit, ut in judiciis etiam forensibus idcirco sint condemnati, uti egregiè ex Historia Ecclesiastica deducit Excellentiss. Dn. D. Christianus Kortholtus, Profess. Theol. in Holsatorum Academia primarius, Dn. Hospes qvondam meus venerandus, in Tractatu suô de Calumniis Paganorum in Veteres Christianos sparsis c. 24.

B

Nam

Nam Tertullianus Apologetico suo cap. 2. Autor est, sufficiens Paganis ad dicendam sententiam in condemnanda Christianis, si quis Christianum se fuisse confessus, nec ulteriore desideraret esse probationem. Atq; hinc ibidem Tertullianus, Non scilicet, ait, aliquid in causa, cur tantopere Christianos ethnici persequeverentur, sed nomen. Et paulo post: Christianus, si nullius criminis reus, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est. Et cap. 3 Ita plerumque clausis oculis in odium Christiani impingunt, ut admisceant nominis exprobationem, Bonus Vir, inviunt, Caius Sejus, tantum quod Christianus. Nec Juventus tantum molestissime fert talem vitæ suæ formandæ Magistrū, qui omnem studiorum ratione nitentium notitiam juxta fideli Christianæ regulam ac canonem exigendam esse ac moderandam censet, sed & Viri prudentiâ humanâ ac dignitate præstantes non raro ejus viam & modum improbant, atq; criminis non vacare putant. Qværitur igitur qvâ ratione ac viâ Juventus ducenda sit, atq; instituenda? Antiqui in naturæ lumine sapientes studiorum Methodum à Mathematum cognitione ordiendam esse existimârunt, qyoniam ad ingenium acuendū Geometricis, Arithmeticis, & cum Pura, tū Mixta, qvam vocant, Matheſeos Scientiis nihil utilius nihil subtilius esse sunt arbitrati. Ab hisce progressum faciendū censuere ad naturæ arcana perſcrutanda. Et tandem ad Primam, qvæ nuncupatur, Philosophiam contemplandam, in qvâ summi rerum conceptus, & Autor naturæ rationis trutinâ perpenditur, se contulere, uti Scriptor quidam Hispanus Nunnerius iu Curriculo suo Philosophia Peripateticæ exponit. Et in hisce Philosophia partibus excolendis & juventuti tradendis in primis operam navarunt apud Indos Brachmanes ac Gymnosophistæ, apud Persas Magi, nec nō Sectis Philosophicis Ionica, Italica ac Eleatica addicti. Socrates vero deinceps, & ipsius Auditor Plato plus studii Practicis ac Moralibus præceptis tribuendum judicarunt. Plato enim Moralem & Civilem philosophiam plurimis ac eruditissimis libris illustravit. Eminent autem inter illos X. de Repub. libri, & XII. de Legibus: In qvibus de honesti & justi principiis disputat. Juventutis igitur industriam in Practicâ in primis Philosophia parte versari debere, autor fuit, Hujus per integrlos 20. annos discipulus

lus fuit Aristoteles, qui discipulo suo Alexandro illo, Magno postea facto, pariter praecipue ad virtutum adyta viam monstravit. Maximè quidem laudabile horum fuit propositum, dum non tantum eò studiò sunt connisi, ut intellectus humanus contemplandò rerum naturas excoletetur, atq; è tenebris crassissimis in lucem quandam rationis produceretur, verum etiam vita hominis emendaretur. Atq; in hæc solò rationis atq; naturæ dictamine adolescentiam ac juventutem manuducendi semitâ, imò in opinionis ac arbitrii sui placitô multi adhuc hodie subsistunt, atq; que acqviescent. Verum ex hâc quidem informatione iste fructus redundat, ut juxta ordinem Civilem atq; naturalem externâ quâdam specie decora agatur vita. Animus autem minus rectè gubernatur in officiis erga DEUM, erga se ipsum, erga homines alios; spectat quoque atq; que estimantur ea, quæ hujus vitæ ornamenta atq; commoda augent, quæ verò ad æternam beatitudinem atq; salutem summatam pertinent, exiguae sibi sunt curæ, imò libertatem sibi arrogat delinqvendi adversus Numen, adversus ea, quæ sibi sunt salutaria, adversus illos, quibuscum vivit. Hoc verò vivendi atq; Autorem universi colendi genere mirum in modum sibi placent, atq; omnia optimè jam egisse se opinantur. At humanum sequuntur ductum, & pro arbitrii sui placitô atq; doctrinâ, cum vitæ, tum Divini cultûs instituendi modum effingunt. Deus verò talem cultum pœna periculò sanxit, atq; *Idolatria*, imò *Impuritas Spiritualis* nomine insignire solet. Unde cum Israëlitæ etiam optimâ intentione jejunium septimô mense injungent ad recolendani memoriam Godoliæ Centurionis necati, quem Rex Negebucadnezar in regione Judaicâ reliquerat; atq; ferias hasce insignem ducerent religionem, Propheta eos docet, jejunasse ipsos non Deo, sed sibi, quoniam absq; mandatô Divinô pro suô arbitriô cultum hunc suscepissent. Supremus igitur rerum Conditor atq; Gubernator priorem religionis observandæ, vitæ transigendæ, ac juventutis affectu faciendæ conditionem seriâ interdictione prohibet, atq; improbat: & licet rationis lux, quatenus cum voluntate Dei patefacta amicè conspirat, suò relinqenda sit loco,

tamen secundum utriusq; & Veteris, & Novi Testamenti nobis-  
cum communicati sacra, mentes hominū efformari desiderat atq;  
reqvirit. In qvō institutō Divinō caput ac principium est Timor  
Domini, ut homo in omnibus dictis, factis, gestibus, ac consiliis  
suis non temerē atq; audacter agat, sed secum prius reputet, placi-  
tione Divino hæc omnia congruant, an secus. Deinde ut ab arro-  
gantiā ad defecuum atq; inopiā suā miserā notitiam animi tra-  
ducantur, ita, ut qvibuscunq; juvenes sive fortunæ, sive corporis,  
sive animi atq; animæ bonis ac dotibus sunt instructi, non suo in-  
genio ac naturæ, non suā perswasæ sapientiæ, non suā hæreditati  
ac majoribus, sed soli omnis bonitatis fontijs atq; origini DEO ad-  
scribant, sibi contra nil nisi delicta atq; delictorum pœnas prome-  
ritas jure tribuant, nec tantā honorum, divitiarum, voluptatum,  
favoris humani, gloriae, aliorumq; mundanorum ac temporalium  
commodorum cupiditate atq; desideriō flagrent. Etiam si  
verò indomita atq; imperita adolescentia ac Juventus talibus vir-  
tutis ac pietatis limitibus repugnet atq; refragetur, plurima ex er-  
rore & mentis caligine in sinistram rapiat atq; interpretetur par-  
tem, à levibus qvoq; & temerariis judiciis se non contineat, & ad-  
versa non pauca Instituenti afferat: si contra in naturali, & civili  
qvādam specie externā atq; ordine relinqvatur, magis sedatè se  
gerat: tamen adversa ea, & repugnantia hominum, eorumq; ju-  
venum & adolescentum, DEI & vitæ & salutis nostræ Autoris, vo-  
luntatem atq; mandatum tollere atq; inhibere nec potest, nec de-  
bet. Nec enim reluctatio illa mira adeò atq; insolita videri de-  
bet, aliter enim res esse non potest. Intellectus enim naturalis  
tantā cæcitatem laborat, ut cæcitatem nullam sentiat, sed in clarissi-  
mā luce se constitutum esse existimet. Auditu digna Lutheri bea-  
tissimi verba hæc de re qvæso percipite: *Tetra*, inquit, ac profunda  
corruptione naturæ nullius hominis ratione agnoscipotest, sed ex Scripturæ  
patesfactione agnoscenda & credenda est. Part. III. Artic. Smalkald:  
de peccato. Tanta verò intellectus naturalis, & sic juventutis  
in primis etiam, ignorantia est obductus, ut non tantum sensum  
corruptionis suæ habeat nullum, verum etiam aversetur summo-  
pere veræ virtutis ac pietatis leges, easq; omnino respuat, & ceu-  
stulti

stulti somnia reputet. Hinc Gentium Doctor i. Cor. 2. *Animalia bo-*  
*mo* (in qvô Spiritus S. domicilium non habet) non percipitea, quæ  
sunt *Spiritus Dei*, stultitia ei sunt, non potest apprebendere. Eum i-  
psum Atheneis resurrectionem mortuorum docentem, sannus qui-  
dam excipiebant, ut A&T. 17 memoriæ relictum. Ex intellectu ve-  
rò indeole de voluntate etiam facile erit judicare. Quid qvan-  
tumq; enim hic cognoscere, illud & tantum ista probare potest, &  
improbare, appetere & non appetere. Sermo Spiritus Sancti hic  
attentionem meretur ex ep. ad Rom. 8. *Sapientia Carnis est INIMI-  
CITIA ad versus Deum.* Nihilominus igitur non impediente ju-  
ventutis repugnantiâ, illa non pro hujus vel illius hominis naturâ,  
ingenio, propensione, consuetudine, opinione, ac placitô, nec  
juxta rectum etiam rationis ac Philosophiae dictamen atq; ductum  
solum, sed secundum eum, qvi Sapientiæ ac voluntati Divinæ li-  
berrimæ placet, qviq; in lumine revelatò per literas Sacras nobis  
est patefactus, modum, ad vitam Deo non displicentem est com-  
mone facienda. Quid enim adolescentibus & animæ & corporis  
structuram artificioſſimam est largitus, juxta suæ Providentiaz  
**Autoritatem**, eandem vult instrui atq; gubernari. Et quis mortali-  
um de sapientiore utilioriq; vitæ traducendæ semita juventuti  
prospicere posset, qvam qvi radix & scaturigo omnis veræ sapi-  
entiaz æterna est atq; infinita? Nec verò porrò ullibi clariùs atq;  
evidenter datur conspicere atq; sentire vehementissimum ini-  
cissimumq; impetum atq; æstum carnis adversus Spiritum mundi  
adversus Fidé, Satana aduersus sanctissimum Numen, anguis adver-  
sus columbā, peccati originalis ac impietatis adversus renovatio-  
nē, qvam in Scholis iis, ubi ad seriam pietatis venerationem atq;  
exercitium juvenes compellit fidus ingeniorum Præparator. Ibi  
enim mali genii balneum, ac inversi Decalogi specimen florentis-  
simum atq; evidentissimum licet intueri. Et reperiet Dominiac  
Servatoris sui vestigiis sincerè insistens director, se ut agnum con-  
stitutum in foveâ laporum, columbam in mediò scorpionum ac  
serpentum.

Animi quoq; statum, ærumnarum satis creantem, depre-

det. Nec enim in rebus fide admittendis, ac Christianò dignis-  
tantum, verum etiam rationis lumine percipiendis, animus disci-  
pulorum cæcitatem ac corruptelâ intimâ est obductus. Intellectus  
enim ipsorum talis est in vero, etiam in naturæ librâ cognoscen-  
dâ, quales sunt oculi vespertilionum erga lumen diei, in mediâ  
meridie cæcuentium, uti egregiè quoq; observat rationis ex ra-  
tione excolendæ Magister Aristoteles. Voluntas tradissimè ac  
tædiosissimè exseqvitur ea, qvæ vel ratio ipsa bona atq; utilia-  
eoq; promptè atq; expeditè eligenda proponit atq; svadet. Ap-  
petitus etiam erga ea, qvæ ratio desideranda esse judicat, gerit se  
ut membrum luxatum, qvod qvando dextrorum invertere vo-  
lumus, sinistrorum perversè fertur ac rapitur, qvâ elegantissimâ  
similitudine hanc rem declarat Stagirita lib. I. Ethic. ad Nicom.  
c. ult. sensus illorum tantum cupiditate incensi sunt, qvæ sgravita-  
te ac jucunditate blandiuntur, etiamsi prorsus non congruant  
cum ratione ac honestate. Nec adeò cum Christianæ tantum sa-  
cientiæ, verum & humanæ rationi q; parentis naturæ defectu con-  
fligere ibi cogitur adolescentiæ Instructor. Ob appetitū enim  
corrupti vehementiam homines isti juniores, rationis ac propriæ  
sibi aliâs naturæ vim oblitterârunt, ac humanitatem omnem exu-  
ere, nec nisi animalium propensiones atq; inclinationes seqvun-  
tur, unde facile canum, simiarum, draconum, ursorum, lupo-  
rum, leonum, aliarumq; ferarum stabulum intrare poterit ac fre-  
quentare; qvatenus juvenes ac adolescentes sibi relinquntur,  
nec virtute solidâ emendantur. Et sicuti prudentissimus Se-  
neca Sapientis sui, hoc est, virtute prædicti, hanc proprietatem esse  
affirmat, animus ipsius ut sit quasi in tertiat & extremâ aëris regio-  
ne constitutus, ubi semper tranquillitas, atq; exoptatissima depre-  
henditur serenitas: ita in Scholis tantum non semper mediæ  
aëris regionis poterit observari idea, affectus dum nebularum,  
grandinis, nivis, imbrium, ventorum, tonitruum ac horridarum  
tempestatum instar regnô atq; dominiô suô gaudent. Nec enim  
ex ætatis solum infirmitate, ab erroribus non sunt immunes pa-  
laestrae istius alumni, sed & lætitia summa ex finistris & perversis  
actionibus perfunduntur, & qui petulantia ac fraudis machinis  
fauci-

fastigium imponere potest, summam inde laudem reportat. Hec  
bitus verò indicium ac characterem voluptatem esse docuit Ari-  
stoteles: Qvando qvis ex rei exercitiò delectationem qvandam  
animadverteret; qvòd si verò dolore ex eòdem afficeretur, non-  
dum acquisiti habitus signum esse, ex rerum naturis verissimè ob-  
servavit. Habitus igitur (qvos Philosophi dicunt) vitorum  
nimium quantum grassari in Scholis apud ætatem ineuntem,  
haut difficuler perspicitur, cum turpium atq; indonestorum fa-  
cinorum sæpè prolixissima ipsam tangat voluptas. Laboris  
contra ingenui ac liberalis amorem si ei instillare laboras, mortis  
instar putat, & asinum citius alacrem ac diligentem reddideris,  
qvàm plerisq; laborandi ardorem persuaseris atq; jucunditatem;  
Nō sine summâ enim difficultate, summâ molestiâ, summo dolore  
literarum studia excolunt, & Satanæ pulvinari otio incubentes  
nihil agendo mala agere perdiscunt. Hinc ignorantia tam altas  
agunt radices, ut qvicq; sive Mater, sive Pater verum velfalsum  
esse dicit, ac opinatur, oraculi loco arripient, paucissimiq; ipso-  
rum ad veritatis & scientiarum lucem emergant. Corporis inco-  
lumentati qvomodo consulere possit pius & fidelis Humaniorum  
Studiorum Praeceptor Publicus, facile cerni potest, qvòd nun-  
quam fermè quiete aliquâ reficiatur, sed motus impietatis, affe-  
ctuum pravorum ac vitorum non secus ac procellæ fluctusq;  
rabiosi impetu in ipsum faciant, unde exortær ira non injustæ, atq;  
ex zelo piô candidoq; profectæ commotiones, curarū gravamina  
atq; anxietates, & vigiliarum defatigationes vires, non posunt nō  
imminuere, infringere, labefactare, earumq; incrementum vio-  
lentò & naturæ inimicò modò retardare atq; impedire. Fortu-  
næ commoditatem atq; subsidium exiguum etiam sibi pollicebi-  
tur. Honoris loco viribus & internis & externis omnibus con-  
tendunt discipuli plurimi, qvæcunq; sensuum calliditate, vel ra-  
tionis abusu excogitare atq; modorum varietate invenire pos-  
sunt, ignominiarum ac contumeliarum genera piis ac virtutem  
urgentibus Docentis laboribus inurere; & ferociæ, temeritatis,  
turpitudinis, ac impietatis stimulis eò impudentiæ provehuntur,  
ut vel rusticum, vel bubulcum majorē dignentur honore, qvàm  
fidum

Adum Pietatis, Virtutis atq; Eruditionis, vitæ q; felicitatem conse-  
qvendi campum aperientem Magistrum. Nec adolescentes so-  
lum, sed & ætatis ac fortunæ amplitudine ac splendore proiecti  
Viri misellum Ludimagistrum indignissimis, vilissimis, abjectissi-  
mis excipere modis haut solent dubitare. Lucri copiam nec adeò  
erit qvò efferat prædicetq;. Qvod si enim cupiditatibus & licen-  
tiæ juvenum atq; adolescentum, suæ curæ creditorum, impunita-  
tem habere, & animi sententiam concedere nolit, parum utilita-  
tis, qvod à liberâ juventutis voluntate pendet, in ipsum redundabit,  
imò ubi occasio feret, grati animi documenta haut mediocri-  
ter ipsi subtrahentur, atq; diminuentur. Et si qvid privatâ ex o-  
perâ commodi suppeditari ei posset, vel sola probitatis ac vir-  
tutis limitibus adolescentiam astringendi diligentia, tenerimum  
licentia amore ita offendet, ut & inde vel nullô, vel exiguo ma-  
ctetur lucrô. Jucunditas non obscurè videri potest ex eô, qvod  
& ipse Spiritus S. sæpissimè tristitiâ afficiatur in integris salutem  
Juventutis qværendi Præceptoribus, ante oculos dum illis obver-  
satur levissima Deum ipsiusq; præcepta temerè lædendi proter-  
via, & alia molestiarum ac tædiorum agmina atq; cohortes tantâ  
importunitate in ipsos confluant, ut & qvies ipsorum in Dominô  
conturbetur, & omni alii etiam honestæ lætitiae vix ac ne vix qvi-  
dem locus relinqvatur. Audire hîc operæ pretium est verissima  
Clarissimi Dn. M. Casparis Sagittarii, Commensalis qvondam mei  
apud Excellentiss. piæ mem. Dnum D. Balthasarem Cellarium in  
Illustri Academiâ Juliâ verba, in Introitûs sui & Exitûs Salfeldensis  
Oratione, qvam de Miseriâ Præceptorum Scholæ habuit in celebri  
Scholâ Salfendensi, cui per tres annos Rector præfuit, sed isto tem-  
poris spatiolô absolutô sponte suâ Rectoratu suo valedixit, &  
quantum ad meas pervenit aures, jam Professione Historiarum  
fungitur in Illustri Academiâ Jenensi: Finixerunt, inquit, Poëta, Co-  
rynthiorum tyrannum Sisyphum magnô nisu apud inferos eò contenden-  
tem, ut ingens saxum supra altissimi montis verticem manibus pedibusq;  
wolveret; at cum jam non abesse longè, quin cacumen montis supergre-  
deretur, tum grandem istam molem per validam quandam vim repul-  
fueris in planissiem revolutam fuisse, & sic miserum horinum, identidem  
buic

buic labori instantem, & sudore per universum corpus manante, & ex-  
quisitus doloribus confectum nec quicquam promovisse. Ingens profecto  
maximeq; molestus labor est Scholasticus, & cum saxo Sisypbi merito sub  
comparandus: quippe qui Schola Praeceptores sedulò officium facientes ita  
defatigare, affigere ac enervare solet, ut hanc credam, bajulum ullum,  
aut restiarium graviori labore perfundit. Queritur de onerum gra-  
vitate apud Aesopum asinus, sed miseri ludorum Literariorum Magistri de  
molestia stylis exercitia, tanquam Augie quoddam stabulum, perpurgandis  
operā, deg̃ infinitis sudoribus alia, majore jure conqueruntur. Nescio-  
unt sanè fortunam suam sutores, cerdones, veteramentarii, capsarii, ful-  
lones, ac universa opificum manus, alias præ Magistris Schola terg̃ qua-  
terg̃ se beatos poedicarent, neq; quod fieri consuevit vulgo, eorum con-  
ditioni invidenter. Neq; sanè mirum est, tot tantasq; curas transversum  
rapere animum, & vires imminuere. Nam videte quāsō, inquit Vir I-  
dem, effrenatam bāc effetā mundi ad interitū vergentis senectā juven-  
tatem, & variis vītis, flagitiisq; deditam. Intuemini mecum capita  
quorudam prefacta, & cervicem multorum obstipam. Inspicite mores  
plurimorum incompositos, & Deo bonisq; omnibus invisam insolentiam:  
quam quidem cum reprimere, flectere, coercere, & quantum licet, exfir-  
pare, boni Praeceptoris sit officium: annon satius, longeq; sit commodius,  
trusatilem versari molam, aut porcorum gregem pascere, vel cauros sti-  
mulis in ordinem redigere, quūm tot radiofissimas molestias devorare?  
Huc usq; Salfeldensis Scholæ qvondam Rector CL. Sagittarius.  
Favoris solamen qvod hōc invitæ genere sperandum sit, facile in-  
de divinari poterit, qvōd veritati propagandæ non parcat: Tanta  
enim animorum ob pietatis & veritatis ardorem serium inculca-  
tum, alienatio, tantum odii incendium, tanta aversionis inhu-  
manitas in ipsum ostenditur, ut conspecto eō vel ex improviso,  
ferinā qvādam indignatione ac immanitate invadant atq; inse-  
quentur. Sed mirum adeo hoc, strenuè vestigia Magistri sui pre-  
menti Praeceptori, videri non debet. Jam enim ab ipsō Dominō,  
in cuius fideli servitio versatur, fatūm hoc ei est prænunciatum:  
*Ecce, misero vos, ut oves in medium luporū;* Neceſſe est ut odio excipiāmi-  
ni à singulis, ob nomen meum. Matth. X. v. 16. & 22. Cavete ab hominibus,  
tradent enim vos in iudicia & curias, & in Scholis & Synagogis suis fla-

C

gris

gris eadent vos v. 17. Et: Si vos persequntur, discipulus non est supra  
Magistrum: Si Patrem familias Bezebub vocarunt, quanto magis do-  
mesticos ipsius sic vocabunt. v. 24. & 25. Nec tamen infelices pro-  
pterea judicantur, pii ac fideles Præceptores, sed beati: Beati, in-  
qvit humani generis Doctor ac Magister, sunt, qui ob justitiam per-  
secutionem patiuntur. Matth. V. v. 10. Nec discipuli tantum odii  
æstu in Præceptorē humaniora studia juxta Christianorum morum  
ac fidei doctrinam dirigentem, flagrant, verum & illi, qui ejusdem  
muneris partes gerunt, benevolentiae parum erga ipsum gerent:  
Dum enim aliâ juventutem ducendi incedunt viâ, & adolescentiae  
propensionibus cupiditatibusq; obseqvuntur, favorem omnem  
in se derivant, ac gratâ qvâdam fraude in animos ipsius influunt,  
odii tempestate omni, sensibus depravatis minus accepta docen-  
ti, immissâ atq; accumulatâ. Verum talibus delicta juventutis  
non immerito imputantur, dum juvenilium observationem  
peccatorum dissimulant, nec ex animi integritate sinistros adoles-  
centiae conatus ac petulantes machinationes impediunt, impe-  
dire qvas poterant, atq; debebant. Tales enim & hi, Moralis  
(qvam Philosophi vocant) causæ corruptionis juvenilis titulô,  
meritò suô vereq; insigniuntur. Nec Parentes vel cognati ex ar-  
ctâ piæ conscientiae obligatione agenti Præceptori, gratiae multum  
impertiri solent; qvòd si enim liberorum vel agnatorum contu-  
maciam atq; obstinaciam promeritâ afficit nulctâ, atram male-  
volentiae atq; iræ, exprobationisq; duræ nebulam excitare con-  
sueverunt, licet enim in alios disciplinæ exercitium florere debe-  
at, tamen à suis alienum hoc esse oportere, cæcò ex affectu judi-  
cantes. Famae verò atq; existimationis externæ honorificæ pe-  
riculum in primis incurrit. Qvodnam enim terrarum per or-  
bem vitæ genus licet reperire, qvod majoribus injuriis ob levia, si-  
nistra ac temeraria judicia expositum atq; obnoxium sit, qvam  
qvod in Scholasticâ juventute ex studiorum humaniorum juxta  
Sapientiam Divinam revelatam exactorum præscripto instituen-  
dâ assuetaciendâq; occupatur? Nam præter Viros etiam litera-  
rum expertes non tantum femellæ, sed & puelli atq; in fantes fer-  
mè, judicigm sibi in id sumunt atq; arrogant. Et qvod iniquita-  
tis arx

tis arx & caput est, à Viris quoq; confirmatæ ætatis ac fortunæ  
nonnunquam id audias non improbari: Præceptorem, opinan-  
tibus, discipulorum suorum judicium admittere de se cogi. Ve-  
rum in memoriam revocare non foret inconsultum, qvibus judi-  
cium in alios fit concessum ac permittendum. Magistratibus &  
judicibus à Summō universi hujus Magistratu constitutis, judici-  
um competit, de parentium & potestati suæ subditorum actioni-  
bus, legibusne ac juri sint consentaneæ, an minus. Verbi Divini  
Ministris judicium incumbit de sanâ doctrinâ ac Auditorum vitâ.  
Patribus familias judicium convenit in dextros sive sinistros fa-  
miliæ suæ ejusq; partium conatus. Cuilibet in suô, cui deditus  
est, & cujus peritiâ ac cognitione prædictus est, statu ac vocatione  
judicium non est denegatum de rebus vocationi isti subjectis, ad  
eamq; pertinentibus. Omnibus & singulis Christianis judicium  
sanum non est interdictum in alios, si modò ex caritate suscipia-  
tur, ita, ut ab omni superbiâ immune, emendationem saltem salu-  
tarem atq; emolumentum aliorum modestè ac humaniter inten-  
dat. Omnia autem hæc judicia requirunt acuratam rerum ista-  
rum, de qvibus feruntur, peritiam atq; scientiam. Judicium e-  
nim fluere ac promanere debet ex rerum naturis ac proprietati-  
bus, de qvibus judicatur. Nemo igitur aptitudine atq; instrumen-  
tis judicandi de rerum naturis ac proprietatibus destitutus, judici-  
um sibi arrogare potest vel debet de eô, qui illis gerendis à Sapi-  
entissimâ Dei Providentiâ & ordine Humanô est præstitutus. A-  
dolescentes verò, de meliore ac commodiori Christianam ac lite-  
ris artibusq; imbuendam juventutem informandi educandiq;  
ratione, judicandi sapientiâ, omnino carent, nondum enim me-  
diis ad eam necessariis sunt instructi, licet puerilis imaginatio non  
exiguam sibi persvadeat prudentiam. Qvò igitur ista, Præcepto-  
rum adversis atq; molestiis sese titillantia ac gaudentia discipulorū  
ac adolescentum judicia, pertinent? Levium ac temerariorum  
numero, pravisq; opinionibus sunt accensenda. Cui societati  
pariter non sunt eximenda Virorum illa judicia, qvæ in conte-  
mnendis aliorum laboreibus non ipsorum emendationem, sed  
contumeliam saltem atq; ignominiam spectant, ideoq; rationem

veram induunt calumniarum. Non unde autem modò omnia  
& singula tela sua incutiunt. Primum enim ipsum Pietatis, Vir-  
tutis, Modestiae, veræ Prudentiae ac Diligentiae studium in fini-  
stram interpretantur partem, ac pro vitiis atq; criminibus acci-  
piunt: ideoq; contemptu, convitiis, ac calumniis non abstinent,  
talem non conferre ad emolumenntum Juventutis, sed potius, qvæ  
sunt ex usu ejusdem, destruere, & interitum ac perniciem adole-  
scientiae allaturum; adeoq; bonam etiam (vel potius erroneam  
ac perversam) prætendunt conscientiam, ac responsonem, ra-  
tio nemq; reddendam, hâc urgente se talem juventutis educandæ  
affaciendæq; modum probare non posse. Sed ignorant cha-  
racterem ac colorem proprium fidelium DEI in quâcunq; voca-  
tione suâ servorum, qui talis: *Ut corruptores, & tamen veraces.* 2.  
*Cor. 6. v. 8.* Ipsa æterna ac Divina Sapientia ac Lumen mundi  
è Σωτῆρι non aliâ excipiebatur fortunâ. Nec Apostoli aliâ ra-  
tione sunt tractati. Modò, hâc erigere ac sustentare te possit  
solatiô, te veracem acutilem esse judice DEO & piis, corrupto-  
rem & noxiū iudicibus impiis. Licet enim cæcitate profundis-  
simâ laborans Caiphas, ipsiusq; à pietate alienissimi adulatores,  
ipsum Mundi Servatorem Samaritam & Corruptorem judica-  
rent; Nicodemus tamen, Josephus, aliiq; pietate præditi, eundem  
ut veracissimum suum ac saluberrimū Magistrum estimabant atq;  
prædicabant. Verum quid mirū? Qvisqvis piam ac juxta volunta-  
tem DEI examinatam, juventutis instruendæ educandæq; ratio-  
nem laudare debet, amore ac estimatione illius tangi oportet:  
Qvisqvis amorem erga illam gerere ac contestari debet, cognitio-  
nem atq; peritiam ipsius acquisivisse sibi oportet: Qvisqvis co-  
gnitione ejus non carere debet, cum Divini Spiritus illuminatione  
donatum esse oportet, uti rectissimè docet Maximè Reverendus  
beatiss. memor. Theologus ac Illustris Rostochiensis Academiæ  
Professor, Dn. D. Henricus Müllerus, Dn. Hospes qvondam me-  
us ætatem colendus, in Horis suis Recreatibus, Germanicò idio-  
mate editis. Quale verò cæcus de colore, tale verbi Divini illu-  
minatione vacans, de piâ & Christianâ juventutis educandæ in-  
formandæq; viâ fert judicium. Quemadmodum enim illi album  
nigri

nigri nomine venit: ita hic salutare atq; utile pestiferi atq; noxiis  
convitio insignit. Qvomodo verò is DEI lumine ac Spiritu beari  
posset, qvi à Principe tenebrarum luperbiā ac ferociā occēcatus,  
Jesum lumē mundi in membris ac fidelibus suis odiō proseqvitur  
ac perseqvitur? Deus enim veram sui cognitionem cum impio ac  
superbō non communicat. Lumen enim ac tenebrae, Christus ac  
Belial, DEUS & Diabolus undō in animō sedem ac domicilium non  
conjungunt. Non perturberis verò, nec confundaris ideo, qvan-  
do noxiis destructoris calumniā te affligunt ii, qvi cæcō ac arro-  
ganti Spiritu asti, Jesum, salutem ac utilitatem veram, haud nō-  
runt. Illene etiam recte olfaciendi ac sapiendi facultate gaudet,  
qvi gravi laborat catharro? Impietatem imbibunt sicuti aqvam,  
animus ipsorum emitit malitiam & perversa facinora, ut fons  
malus & plenus. Idcirco utilissima detrimenti saporem ipsis  
excitant, iūq; meliora pejorum, emendationem corruptionis, æ-  
dificationem destructionis, correctionem scandali titulo valde  
perverso incravant. Pietas, & Christiana, juventutem litera-  
rum ac artium liberalium studiis dicandam, instituendi manudu-  
cendiq; methodus, aliis est sapor vitæ ad vitam, sed ipsis sapor  
mortis (nisi ad mentem vertantur meliorem) ad mortem. Re-  
ctum tamen & utile, utilitatem reverā afferet, & ei omnes probi  
erunt addicti. At non levi tibi solatio erit, jam dudum priscos  
Christi sectatores qvōd eadem ærumna exercuerit atq; tentārit,  
imò deteriori Impostorum ac Atheorum calumniā ipsi sint one-  
rati: sic impius Apostata Julianus apud Cyrillum lib. III. ma-  
gnum illum Apostolum, fidelissimumq; Christi servum Paulum  
injuriosissimō nomine appellat τὸν πάντας πάνταχθεὶς κώπω  
γίνεται ἀπαντῶντας ἐπειδόμενον Παῦλον, omnes omnino un-  
unquam qui fuerunt, prestigiatores impostoresq; superantem Paulum.  
Qyin cunctos Christi nomen professos istud passos fuisse con-  
tium Origenes memorie predidit, qvi de Celso Epicureo, lib.  
VI. eorum, qvos ipsi opposuit, o dè, inquit, γίνεται ἡμᾶς καλεῖ  
καὶ φέσιν. Illa prestigiatores nos vocat. Huc pertinet Historia  
Barlaami, qvæ Damasceno tribui solet cap. XXII. ubi Zardan,  
homo ethnicus, significaturū Indorum Regi Abanner, qvōd fi-

Ius ipsius Iosophat à Barlaamo ad Christianismum esset conver-  
sus, *Improbis quidam*, ait, & *præstigiator ad eum ingressus de Christia-*  
*næ religionis doctrinæ adeum verba fecit.* Et mox Araches itidem Pa-  
ganus, Barlaamum jussu Regis qværens, ubinam eſt, inquit, *impo-*  
*ſtor ille, qui Regis filium in errorem induxit?* Qvin paulò post seq. cap.  
XXIII. Rex ipſe Christianos ita compellat: *Vos, ut PESTIFEROS*  
*homines, ac populi seductores, suppliciis afficio, quoniam omnes in frau-*  
*dem impelliſtas.* Et Arnobius lib. 1. de culmine iſtō injuriæ conve-  
ritur, qvòd ipſius Atheiſmi etiam, Christianos veteres insimulare  
non ſint veri gentiles: qvando eos ita alloqvitur: *Ergone impie*  
*religionis furnus apud vos rei, & quod caput rerum, ut convictio utamur*  
*veſtrō, INFIAUSTI & Atbei nuncupamur?* Deinde & hunc arietem ca-  
lumniarum intorquent, ut, qvòd ſi juventus ex ignorantia intimæ  
atq; extremae ignorantia, piæ ſuæ informationi educationiq; ad-  
verſetur, ideoq; petulantia atq; immorigeros qvosdam motus  
non raro excitet, in Magistrum ac ductorem omnem rejiciant  
culpam. At pari ratione artificiosiſſimo ac gnauifſimo eqvo-  
rum domitori atq; ſubactori tribuitur ineptitudo & janctantia e-  
qvorum ferorum: ſollicito ac cautiſſimo gubernatori accepta-  
fertur, furentium fluctuum ac ventorum tempeſtas: aurigæ cir-  
cumſpecto exorbitantia trahentium eqvorum: probo & justiſſi-  
mo Magistrati turbulentia civium ac ſubditorum ſeditio, diſcor-  
dia, motusq; civiles: optimis Parentibus inobedientia ac con-  
tumax liberorum petulantia: peritiſſimo Medico graſſantes ægro-  
torum affectiones, febres, furor, infania. Etiamſi & equeſtes, & guber-  
nator, & Magistratus, & Parentes, & Medici, fideliflīmē ac dexter-  
rimē officiō ſuō fungantur, & pro omnibus viribus, quantum in  
ipſis eſt, præſtent, qvæ ipſis incumbunt. Vera verò turbarū  
iſtarum cauſa in depravata disciplina, adolescentum, juve-  
numq; voluntate, Satanæ aſtutissimō impulsu, ac malignorum,  
invidiāq; malevolâ incenſorum hominum, dum ſeſe motibus ma-  
lis non eo candore opponunt, qvō opponere ſe debebant, cal-  
lidō ac noxiō ſilentio, nutu atq; conſenſu, qværenda eſt atq; col-  
locanda. Qvin, qvòd ipſe Sapientiſſimus & Sanctiſſimus rerum  
humanarū Moderator Deus, ex arcānis ſuis consiliis, non niſi  
ſaluta.

salutarem scopum intendendo, nonnulla interdum permittat, ut ex iis boni aliquid & saluberrimum fructum eliciat, qui hominum πληρεψυμοσινη ac curiositate, vel potius errore ac peccato intercipitur atq; impeditur, ignororum, vel oblitorum, Deum per ærumnas atq; aduersa ad felicitatem, per afflictiones ad salutem ac beatitudinem, per aspera ad astra ducere, ac hominum res provehere, atq; gubernare. Vel ex paternô animô utilissimam reprehensionem ac correctionem immittit, ut per eam à deviis in rectam traducat viam; sed impii pœnam etiam paternâ & revera amabilem non admittentes, externâ & inconstante dominante fortunâ malunt sibi veram jacturam contrahere, qvam paternâ ac cōmodi plenâ correctione fines conseqvi exoptandos. Instant tamen, pernicioſa intendentēs convitia: Taliū Præceptorum tempore multa prava à juventute sunt perpetrata. Judicium verò qvoad rei veritatem simile: Christianorum priscorum tempore persecutiones & ingentes tumultus orti sunt: Christiani igitur persecutionum istarum ac tumultuum sunt causa. Illō Magistratu justō imperante turbæ inter Cives concitatæ: Magistratus igitur turbarum Autor est. Istō Verbi Divini piō Ministrō docente, Auditores quidam de verâ fide descivere, & dissolutam egere vitam: Minister igitur Ecclesiæ culpam commisit, ἀμεροία ista & dissoluta vita qvōd ingruerit. Illō peritō nautā navem gubernante, sēpè ortæ tempestates ac naufragia: Causa igitur tempestatum ac naufragiorum residet penes nautam. Sed calumnias urgent exprobrando: Cur pietatis seriam curam inmoderandâ juventute gerentibus, obtinentia adversa, aliis, iisq; omnibus Præceptoribus, etiam non accidente? At si non certis in munere suō obeundō expositus fuit molestiis hic vel ille Præceptor, quis tamen, eum ab omnibus etiam aliis ærumnis fuisse liberum atq; exemptum, confirmārit? Animum verò propterea desponeat, non est necesse: Nam veram verorum Christi discipulorum notam esse, certus est, adversorum atq; ærumnarum experientiam atq; patientiam. Et jam olim in primitivâ Ecclesiâ idem scrupulus est injectus priscis Christianis, ipsos cum adversorum multitudine ac duritate conflictari, aliis contra omnia

ex animi

ex animi sui sententiâ lœta atq; (externâ specie) prospera fluere.  
Ita enim Paganos introducit loquentes Arnobius sub finem lib.  
ii. *Cum omnipotenti servitio Deo & eum babere confiditio salutis atq;  
incolumitatis vestre curam, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas,  
atq; omnia genera pœnaru[m] & suppliciorum subire.* Sic iudicet Ethnici  
apud Lactantium lib. V. cap. XXI. *Cur Deus ille singularis, ille ma-  
gnum, quem rerum potentem, quem Dominum omnium conficeris, bac[et] fieri  
patitur, nec cultores suos vindicat, ac tuerit? cur deniq; qui eum non  
colunt, & opulentis & potentes, & beati sunt, & honoribus regnog;  
poriuntur eosq; ipsos ditionis ac potestati subjectos habent.* Si-  
milia exprobrat Cæcilius apud Minucium Felicem: *Cui ta-  
men eleganter respondet Octavius: Quod corporis humani  
vitia sentimus, & patimur, non est pana, militia est: Fortitudo  
enim infirmitatibus robustur, & calamitas sapientia disciplina vir-  
tutis est: vires deniq; & mentis & corporis sine laboris exercitatione  
corpescunt. Itaq; nobis DEUS, nec non potest subvenire, nec despicit,  
cum si & omnium rector, & amator piorum: sed in adversis unum-  
quemq; explorat & examinat, ingenium singulorum periculis pensat,  
usq; ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitur. Itaq; ut au-  
rum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.* Haec etiam Minutius Fe-  
lix. Nec disciplinæ rationem solum variis maledictis lacerant  
ac proscindunt, sed & doctrinam pietate ac fide humaniora Stu-  
dia proponentis probris convitiisq; insectantur, & Theoninô  
dente circumrodant: *Qvod si enim Lingyaru[m] ac Artium hu-  
maniorum civiliumq; cognitioni regulam ac cynosuram addat  
pietatem, & limites morum Christiano dignorum veræq; fidei,  
tum literarum studia minus recte tractari afferunt, nec tali me-  
thodô incidentem asseqvi penetrareq; modum rationis exercen-  
dæ atq; excolendæ.* Sed nonne idem est judicium, qvod & in  
veteres Christianos jam multis abhinc seculis evomere non re-  
formidârunt Ethnici? Stupiditatem enim & *ἀπαιδευσία* illis ob-  
jecere. Unde Arnobius lib. i. *Nos bebetes, stolidi, fatui, obtusi pre-  
munitiamur & bruti.* Et lib. ii. *Ita, inquit, non injustissimumducitis,  
illudere tanquam stulta nobis & brutis dicentes?* Et deinceps: *Quid  
est, quod à Vobis tanquam bruti & stolidi judicemur? Quanam injusti-  
tia tanq; est, ut fatui vobis credulitate in istâ videamus?* Et lib. III.

Hocine

Hocine est illud fastidium vestrum? Sapientia haec arrogans, quâ de-  
spuitis nos ut rudes. Ita Tertullianus Apologet. cap. XLIX. Illi  
(gentiles) prudentes, nos inepti, illi honorandi, nos irridendi. Hiero-  
nymus Epist. 7. de Lætæ, Christianæ mulieris, patre ethnico Io-  
quens, Desebat licet, ait, Et irrideat epistolam meam, Et me, vel stultam  
Et insanam clamitet: Hoc Et gener ejus faciebat, antequam crederet.  
Imò diffidentia etiam apud quosdam oritur de ipsâ Praeceptoris  
eruditione, si, Theologi utiloqvuntur, omnem suam rationis ex-  
cultæ peritiam, eruditionemq; sive Humanioré sive Philosophicā  
gratiâ Dei captiver sub obedientiâ fidei ac Christi. Tum enim luci fortè  
data eruditionis specimina cum ejusmodi vivendi ratione pa-  
rum congruere opinantur. Verum eandem fortunam jam o-  
lim subire ac experiri coacti sunt prisci sectatores Christi. Sic  
enim Cæcilio apud Minutium Felicem Christiani sunt homines  
indocti, impoliti, rudes, agrestes; quibus, inquit, non est datum intelli-  
gere civilia. Idem, impio illi irrisori Luciano in vita Peregrini  
audiunt idōnū āθēwai. Et apud Hieronymum proœmio Ca-  
talogi Scriptorum Ecclesiasticorum arguuntur rusticæ simplicitatis.  
Nec non Julianus apud Cyrillum lib. VII. contra ipsum appellat  
δυσυχεῖς καὶ ἀρνητες miseros atq; insanos. Verum præterit ipsos,  
talem apparentem ruditatem, qvæ omnem humanam doctri-  
nam atq; experientiam regimini ac præceptis, Divinæ in monu-  
mentis Sacris revelatae doctrinæ submittit, optimam esse sapien-  
tiam atq; eruditionem. Tales enim rudes (falso & ex errore ju-  
dicati) Et agrestes, Et imperiti, expugnarunt sapientes, Et potentes Et  
tyrannos, quiq; se efferebant gloriâ ac divitiis, Et omnibus externis, per-  
inde ac si non essent Viri, inquit Chrysostomus explicans verba Pauli  
I. Cor. I. v. 17. οὐ καὶ φίλοι θύγα. οὐ μὴ κερδεῖσθαι τὸ χρέος.  
Homilia III. in hanc Epistolam. Ex hisce verō calumniis, pejus,  
levius, & magis temerarium judicium conflant, in fidei & Morum  
Christianorum legibus humaniorem doctrinam includentem.  
Magistrum, cum esse nauci, nullius frugis, ad docendam educan-  
damq; juventutem haut aptum. Qvæ res commotionem haut  
mediocrem posset excitare pio ac fideli humaniorum studiorum  
Praeceptoris, nisi in memoriam redigendum ipso esset consilium ac

D

judi-

judicium Illuminatissimi Christianorum Antesignani & Gentium  
Magistri Pauli: *Existimo*, inqvientis, *Deum nos Apostolos* (& omnes  
fideles Apostolorum asseclas) *sitisse vilissimos, quasi morti traditos:*  
*Nam fabula facti sumus mundi* (fabula Scholæ, fabula Civitatis) &  
*bominum.* 1. Cor. IV. v. 9. At Diaboli mancipia, ac maximè cæcā  
& inutilissimā impietate laborantes superbissimi spiritus, levissi-  
mum ac pestilentissimum hoc calumniæ convitiiq; genus jam olim  
evomuere, in pretiosissimos ac Summè Reverendos Vitros Dei,  
cùm Doctores, tum Auditores Christianæ Ecclesiæ, dum iis, quod  
inutilia essent terræ pondera, nec ullum rebus humanis com-  
modum afferrent, non dubitarunt exprobrare: Sic enim contesta-  
tur Tertullianus in Apologetico cap. XLII. *Sed alio quog; injuria-  
rum titulō postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur.* Declarare  
hoc etiam voluit Svetonius, dum in vitâ Domitiani cap. XV. Fla-  
vium Clementem (qui Autore Dione Cassio Christianus fuit) ho-  
minem vocat *contemtissima inertia.* Verum in impietatis & vitio-  
rum studiò ac technis, artibusq; Diabolici (in quibus perversi ac  
pravi frugiferi sunt) Pietatem cum Eruditione civili conjungen-  
tes Præceptores omnesq; vero Christiani nomine digni, inertes  
sunt ac frigidi, sed illam felicem ac saluberrimam inertiam resar-  
ciunt solertiâ, sagacitate, aptitudine ac diligentia laudatissimā,  
dum omnium rerum, quæ in universi mundi structurâ reperiun-  
tur, utilissimā Pietate, cujus utilitas ad omnia se extendit, & in hac  
& in alterâ vitâ benignissimis ac præstantissimis compensatur bo-  
nis, illiusq; placitis subactâ virtute atq; eruditione, ad Summam  
Summi & sanctissimi temporis ac æternitatis Domini ac Regis glo-  
riam, & haut sicutam, nec apparentem, sed veram aliorum ho-  
minum utilitatem, omnia sua rerum agendarum consilia refe-  
runt. Impii contra & mundanis cupiditatibus mancipati, licet  
eruditione suâ atq; experientiâ, alacritate atq; vigore, divitiarum  
atq; honorum adminiculis pessimè abutantur, & in superbiâ, fe-  
rocitate, temeritate, contumeliis inferendis, levitate, convitiis,  
calumniis, vituperiis sint frugiferi ac solertes: Nam filii hujus  
mundi (ac tenebrarum) sagatores sunt in suo genere (malitia, vitio-  
rum, & peccatorum) quam filii lucis. Luc. XVI. v. 8. *tamen in salu-  
taribus*

taribus & judiciō Dei ac Verbi Divini reverā utilissimis ad pietā-  
tem dirigendis negotiis, steriles sunt, inutiles, rudes atq; inepti.  
Nec exiguum remoram salutiferis maximeq; necessariis, delicto-  
rum ac vitorum morbos sanantes literas urgentis Præceptoris,  
propositis injicit temerarium illud ac leve, perperām divulgat-  
um, nec ipsam adolescentiam celatum, judicium. Juventutem  
alienō ab ipso esse animō, & odiō in eum flagrare. Quid verò  
mirum, cum idem non emendationem ac ædificationem (qvam  
Theologi vocant) sed perniciem saltem intendens convitum jam  
primis sub novō fœdere Christianis objec̄tum atq; intortum sit:  
Nam Tertullianus Apologet. cap. II. ait, si Paganorum judiciō  
standum, Christianum bominem, omnium merum, ac naturæ totius, esse  
inimicum. Sed latet illos, judiciorum temeritate ac levitate præ-  
cipitos atq; occēatos convitiatores, proprietas omnium vero-  
rum Christi cultorum & sic piorum etiam docentium, rem ob  
perversam, ac originali lue depravatam juventutis naturam aliter  
esse non posse: Nihil enim aliud ipsi obtinet, qvām qvod aperi-  
tissimè disertissimeq; eum summus orbis terrarum Magister præ-  
monuit, ut supra jam est confirmatum: & qvod cælestis Doctri-  
na Doctor Magnus Paulus docet: *Omnibus pie in Christo vita stu-  
dentibus necesse est, ut persecutionem patientur.* II. Tim. III. v. 12. Et  
Act. XIV. v. 22. Oportet nos multas per arumnas (odia, persecu-  
tiones) ingredi regnum Cælorum (& alios in illud ducere.) Suō tamen  
tempore Sapientia Divina verum reddere potest ac solet illud su-  
um: *Quando vie alicujus Domino placent, tum etiam inimicos ipsius  
ipsi conciliat.* Prov. XVI. v. 7. Hanc & similem perversorum ju-  
diciorum, ac carpendi, reformatiōnē modorum machinam in-  
tentant non tantum ætatis ac fortunæ provectione, verum puerilis  
etiam ac cujuscunq; conditionis homines, omnes & singuli judiciū  
in Scholarum ac juventutis afflictionem directionemq; sibi u-  
surpantes atq; arrogantes, & in alienis officiis curiosi ac ἀλλοτριο-  
πεπονιαι atq; πλυπεγμεσύη haut vitantes, cum tamen tan-  
ta rerum suarum corrigendarum esset multitudo atq; atrocitas,  
cui emendandæ industriaæ atq; operæ satis insumere non pote-  
runt omnem etiam per ætatem, Sanioribus autem arbitrandum

relinquo, utrum cuivis judicium in Juventutis ad literarum & Ar-  
tium studia informandæ educandæq; Methodum permitti meritò  
ac concedi possit? utrum enim qvivis mysteria gloriae Divinæ ac  
Caritatis Christianæ, ac dogmata fidei & morum Christianorum  
solidè comperta habet atq; explorata? utrum qvivis principia  
ac præcepta Virtutum moralium & Intellectualium, & Juris Na-  
turæ sibi familiaria reddidit atq; cognita? Utrum qvivis scienti-  
is contemplandi rerum naturas, in rebus creatis propositas, ex-  
qvisitè est imbutus? utrum qvivis capit artem ratiocinandi, &  
opiniones ac consuetudines populares à veritate ac scientiâ di-  
stinguendi? utrum qvivis instructus est arte persuadendi, petitâ  
ex imis genii atq; indolis humanæ visceribus ac recessibus? U-  
trum qvivis sibi comparavit, optimam commodissimam, atq;  
expeditissimam methodum tradendi & cognoscendi Poësin, Lin-  
guas, Latinam, Græcam, alias? Licet enim hujusmodi omnia &  
singula apud teneram & rudem adolescentiam ac juventutem in  
Scholis proponendi locus commodus non detur, tamen in rudi-  
mentis ac primordiis literarum studiorumq; humaniorum, &  
tyrocinii educandæ juventutis, cuncta suô jure debent, ad priora  
illa, tanquam ad cynosuram ac' facem, revocari atq; dirigi, nec nō  
laudata illa cognoscendi vivendiq; subsidia, quantum in institu-  
tionem affectionerñq; adolescentum juvenum q; cadit, cum ju-  
diciò accommodari. Dicta verò hæc sunt, de Pii & Fidelis Huma-  
niorum Studiorū Præceptoris Publici conditione; intentione non  
cā, ut ipsum officium adducatur in odium vel contemptum: non  
enim ipsum officium, sed istud affligentia, vitia & malitia homi-  
num notamus; vel Scholarum dignitas immiuatur, vel libera-  
lia ingenia ab hoc vitæ genere eligendō, suscipiendo, aut retinendō  
retrahantur atq; deterreantur. Ipsum enim officium eō loco  
meritò est habendum, qvō istud habuit beatissimus Veritatis Cæ-  
lestis restaurator Lutherus Tom. V. Jenens. fol. 184. b. Diligenti,  
Germanicò idiomate inqviens, ac probo Ludimagiſtro, aut Magiſtro,  
vel qui quis est, qui pueros fideliter ducit & docet, nunquam satis merce-  
di conferri potest, nec ullā pecunia dignum solvi præmium. Et ex cā-  
dem ratione Tom. II. Jenens. fol. 454. & seqq. Consules & Sena-  
tores

tores omnium Civitatum per Germaniam gravissimè adhortatur,  
ut operam dent Christianis Scholis erigendis & conservandis.  
Hæc autem eò saltem in medium volui proferre, ut delineatio-  
nem hanc qvalemcunq; officiò istò rite functurus, vel fungens  
cum suâ scientiâ experientiâq; conjungens eò expeditius, felici-  
usq; cavere sibi queat à telis prævisis. Equidem verò non invi-  
tus, sed non levibus de causis ultrò hæc mecum agitans consilia,  
sponte meâ Con-Rectoratu meô, haec tenus quem gessi, relictò,  
Wismariensi Scholæ valedicere jam volui: qvòd, alias silentio ut  
involvam rationes, nunquam, si Providentia ac Voluntati DEI  
erga me Paternæ ita visum fuisset, fixum firmumq; mihi fuerit,  
omnem ætatem apud omnino non educatam atq; indomitam  
juventutem in Scholis consumere, nec primus ultimusq; si sapi-  
entia ita placuissest Divinæ, studiorum meorum scopus soli Scho-  
lae fuerit dedicatus. Nec exempla desunt eorum, qui provinciis  
Scholasticis depositis ad alia vitæ genera sponte suâ eligenda ani-  
mum appulere. Mentionem enim jam ante feci Clarissimi Viri;  
Dn. M. Casparis Sagittarii, Luneburgensis, Convictoris quondam  
& amici mei benevoli in Illustri Academiâ Juliâ apud Maximè Re-  
verendum Dn. D. Cellarium. Hic enim legitimè ad Rectora-  
tum Scholæ Salfeldensis vocatus, per triennium saltem ei præfuit,  
postea in Illustrem Jenensem Academiam iterum se conferens, cu-  
jus jam in Philosophicâ Facultate Professor, & S. S. Theolog. Do-  
ctorandus esse mihi nunciatus est: qvod ipsius consilium perspi-  
ci potest ex scripto quodam Jenæ in lucem publicam protractò,  
quod inscribitur: Casparis Sagittarii, Luneburgensis, Philos.  
Mag. & S. S. Theol. Doctorandi, Scholæ Salfeldensis quondam  
Rectoris Introitus & Exitus Salfeldensis, duabus Orationibus I.  
de Miseria Preceptorum Scholæ II. Valedictoriâ ostensus. Et in  
proximò meô susceptò itinere bina etiam alia, licet nullò modò  
cum iis me comparatum velim, Excellentissimorum Virorum  
exempla ad aures meas pervenere, quorum alterum ex ipso gra-  
vissimò ore Maximè Reverendi & Amplissimi Viri, Dn. D. Mi-  
chaelis Cobabi accepi, alterum de Excellentissimò Dn. D. Hilde-  
brandò à Maximè Reverendo quodam Viro mihi est recensitum.

Nihil igitur superest, gratias quām ut agam habeamq; singulares, ac nunquam intermorituras iis, quorum merita ac beneficia in me per tempus Officii hujus mei gesti, constitere maxima ac praestantissima. Tibi itaq; benicitatis ac gratiae infinitae ac nullis linguis ac hominibus satis celebrandæ fons atque Origo DEUS, quæ gratia? quæ pietas? qui laudis ac gloriae fervor? à me debetur, quod de throno ac Majestate Divina Tuæ Potentiae ac Glorie, gratiae Tuæ clementissimos radios in me immittere, hominum terrenâ Autoritate pollutum animos ad ornamentum meum flectere, & ad Juventutis Sanctissimo Nomi Tuо in primis dicandæ atq; consecrandæ mentes instruendas, moderandasq; mediis honoris plenissimis vocare & constituere annuisti. Tu unus & solus fide tutissimâ, varias in me vim suam tentantium malorum turmas, benignissimè paternęq; prohibuisti atq; propulsasti. Tu cum ex Academiâ Rostochiensi Celeberrimâ ad locum, ad quem viam mihi muniveras ac vocaras, iter ingrederer, bellicâ tempestate grassante, per medias exercituum armatorumq; cohortes, pericula omnia avertens, securè atq; tranquillè me duxisti. Tu cum ipso mihi demandatō munere initia capientis livoris, calumniarum, levium temeritorumq; judiciorum, adversorum, angustiarum, ac persecutionum onus, humeris meis non nimis grave reddidisti, sed sub molestiarum istarum angustiis annum meum confirmasti, meq; ne omnino succumberem, sustinuisti ac conservasti. Tu morborum vim ac mortis tentamina pro Divina ac Patetna Voluntate Tuâ abluvere me non permisisti! Tu sub innumeris Obsidionis periculis non tantum ab omni clade ac calamitate liberum me esse, volitantum per ædium ac platearum spatiæ globolorum impetum à latere meo removere voluisti, verum etiam robur mentis addere, ut in Te quietus ac latus nec in precibus, nec in laboribus obeundis impeditus fuerim, sed peregrinus ac desertus incolas solatiō demulcere potuerim atq; sedare. Tu belli calamitatem subsequenter, pestis ac morborum, plurimos vel Parentibus, vel liberis, vel uxoribus, vel fratribus ac sororibus, vel cognatis ac amicis suis carissimis orbantium, atrocitatem mihi pestiferam atq; insalubrem esse non es passus! Tu  
sub

Sub malis & animi & vita & famae & sanitatis suppressionem ten-  
tantibus pro Tuâ Sapientia ac gratia, existi me atq; corroborâ-  
sti! Tu in Officii impositi partibus ad Juventutis animos juxta-  
Pietatis Tuae; sanctissimæ voluntatis, Virtutis, Eruditionis, Mo-  
destiae, ac veræ Prudentiae placita ac consulta assuetuendos com-  
movendosq; & à vitiorum flagitorumq; turpitudine seriò deter-  
rendos arceudosq; fidem, candorem ac zelum concessisti. Tu sub  
Conjugii, cuius mihi Providentia Tua ductrix fuit certa, ordine  
cùm dilectissimâ Uxore, multa & sempiternâ memoriâ recolenda  
in me contulisti beneficia. Tu Uxorem eandem, debitò affectu  
prosequendam, pro Sapientia ac Voluntatis Tuae Cœlestis Autori-  
tate superesse diutius noluisti, sed ex vita hujus molestiis in tran-  
quillitatis, gaudiorum, beatitudinis ac felicitatis Supremæ Cœlum  
ac Palatium transferre, & lumine gloriaq; infinitâ, fidem ac cari-  
tatem animæ Ipsiis in SERVATORE constantem, ex gratia com-  
pensare jam censuisti. Tu sub ipsis adversorum insultibus, non  
pauca bonitatis Tuæ ac amoris Paterni clementissima documenta  
circumfluere me jussisti! Tibi igitur, Tibi qvicqvad in Spiritualibus,  
qvicqvad in Naturalibus, qvicqvad in æternis, qvicqvad in tempora-  
libus, qvicqvad animæ, qvicqvad animo, qvicqvad corpori, qvicqvad  
fortuna commodare placuit, uni acceptū refero, uni ad æternam  
gloriam deferō, consecro, submitto. Tu igitur, unice rerum mea  
rum fidelis Tutor ac Prospector, saluti meæ exspectandæ pro san-  
ctissimâ ac celeberrimâ Nominis Tui benignitate ac gratia con-  
sule! Alterò loco ad Magnificum & Amplissimum Civitatis hu-  
jus WISMARIENSIS SENATUM mea se convertit oratio: Ve-  
stra, Domini ac Patroni observandi, à Divinâ Directione conside-  
ratâ si discedo, beneficentia est, qvòd ad Con-Rectoratum Wis-  
mariensis Scholæ ob beatum Clarissimi Dn. Antecessoris mei M.  
Georgij Dikii vacantem, meæ fidei committendum magnam be-  
nivolentiam ac propensissimam promptitudinem declarâstis. Ve-  
stra laudatissima atq; Illustris Humanitas est, qvòd non tantum  
egregiis Magistratibus dignæ civilitatis indiciis, me hic Wismariæ,  
ad Spartam oblatam, favorem non mediocrem contestantibus ra-  
tionibus, inflammare, verum etiam in plenô Magnifici & Amplis-  
simi

simi SENATUS confessu me præ aliis unanimi consensu eligere, &  
honoris plenissimis literis ex ædibus Maximè Reverendi, Excellen-  
tiss. & Ampliss. beatiss. memor. Dn. D. Superintendentis ac Pro-  
fessoris Theologi Rostochiensis Dn. Henrici Mülleri, citra ullum  
meum ambitum ultrò, me ad Officium hoc Publicum vocare vo-  
luistis. Vestrum observantiâ ac cultu complectendum meritum  
est, qvòd non unum de Vestrò me ornandi augendiq; studiò te-  
stificans specimen, in me extare sivistis. Vesta eximiis extollenda  
laudibus Comitas est, qvòd, qvam gravibus de causis desideravi  
ac petii, dimissionem meam variis honoris indicis proseqvi non  
dubitâstis. Vesta gratâ mente agnoscenda benevolentia ac cu-  
ra in me est, qvòd per Dn. SECRETARIUM ultrò honorificum  
mihi offerendum curâstis Testimonium, & jam reipsâ nomine to-  
tius Magnifici & Amplissimi SENATUS mecum communicâstis,  
qvòd rebus meis contra malevolorum ac calumniatorum machi-  
nas imposterum etiam prudenter consulere voluistis. Vesta  
Celeberrima solertia est, qvòd Examini Juventutis Scholasticæ  
Publico non ita pridem non inviti, sed diligentibus interfueristis, & de  
laborum meorum, Juventutem informandi Assyfaciendiq; Me-  
thodò, honestè sentiistis atq; existimâstis. Vestrum prædicand-  
dum de me judicium est, qvòd nuper circa introductionem mei  
Dn. Successoris, Magnificus Vestri Ordinis Vir, pro Oratione  
Publicâ in Æde Monachorum Schole proximâ, præsente Prima-  
tum Civitatis Coronâ, & Juventute Cœtûs Scholastici in famâ  
meâ decorandâ ornandâq; fuerit multus. Vesta evehenda fa-  
cilitas est, qvòd non tantum Valedictioni huic meæ Publicæ lo-  
cum promptum dare, verum etiam splendidâ & solenni Vestrâ  
præsentia eidem adesse non recusâstis. Valete, Patroni colendi,  
Valete. Summus Rerum publicarum ac Regnum Gubernator  
consilia Vesta gravissima ditigat in Nominis sui Magni gloriam,  
in Civitatis hujus Wismariensis emolumentum atq; salutare in-  
crementum, & Vestrâ omnium & singulorum veram felicita-  
tem atq; salutem. Valete, & sicubi forte me absente occasio fe-  
ret, famam meam contra maligna conamina defendite pro Vesta  
Autoritate. Nec minores gratias Maximè Reverendo & Am-  
plissimo

plissimo MINISTERIO, qvas mente piâ concipere possum, ago  
habeoq; immortales. Non tantum enim publicè pro Concione  
Sacra Verbum Divinum pro occasione proponendi dicendiq; co-  
piam mihi fecistis, verum nemo etiam Vestri Ordinis reperitur,  
cujus peculiaria in me merita atq; ornamenta dignis evehere lau-  
dibus non sim obstrictus. Prospiciat sanctissimus Prophetici Of-  
ficii Institutore ac Defensor DEUS Vestris venerandis functionibus  
etiam in posterum de Veritate Cælestis ac peculiariter revelatae  
Doctrinæ, de Zelô ac sanctimonia in vitâ urgenda, de sanis ac sa-  
lutaribus consiliis adversus versutissimi Mundiac Satanæ insidias  
ac machinationes, de Ecclesiæ augendæ stabiliendæq; utilissimâ  
ac maximè necessariâ concordiâ, de Spiritu igneô ad veritatem  
contra contemptores defendendam, de Spiritu Candoris ad pro-  
pagandâ Gloriam & Voluntatem Divinam. Et Vos, Ornatissimi &  
Florentissimi Urbis hujus Wismariensis CIVES, qvorum dilecta  
Conjugii Pignora & sanguinis agnatione conjuncti, maximum  
Iuventutis Scholastica numerum constituunt, Valete. Multo-  
rum ex Ordine Vestro Humanitatem, officiorumq; promptitudinem  
gratâ experientiâ compertam habeo atq; exploratam,  
Consulat summus rei familiaris Administrator ac Conservator  
DEUS Vestris etiam tranquillitati ac Paci, ne tot bellorum flucti-  
bus, novisq; mutationum procellis magis magisq; jaetemini. Con-  
sulat Vobis de constanti istiusmodi regimine, qvæd Vestri emolu-  
menti atq; salutis curam non deponat. Consulat commerciis  
Vestris per maris securitatem pacemq; agitandis. Consulat cre-  
scenti florentiâ Vestrae victus ac necessariorum copiæ. Jam ad  
Vos, Clarissimi ac Doctissimi Da. COLLEGÆ, Fautores & Amici  
Honoratissimi, mea dicendi se flectit materia. Qvicq; vid bene-  
volentiæ, qvicq; vid candoris, qvicq; vid humanitatis, qvicq; vid be-  
nignitatis testificari mihi propendistis, omne id confirmo Vobis  
non in immemorem ingratumq; fore collatum. Testor verò  
Vos vicissim, annon, quantum Divina mihi permisit Bonitas, &  
mearum fuit partium, ex imis sinceri animi penetralibus sollici-  
tus fuerim de universi Cætus Scholastici salute, emendatione, ho-  
nestâ tranquillitate, utili ordine, dignitate, emolumento, incre-  
mento. Testor Vos, annon, quantum in me fuit, omnem dissili-  
diorum ac litium occasionem studiò seriò declinârim, ac in quietis

concordiaq; felicitate Vobis cum semper agere sim annis. Testor  
Vos, utrum ullius Dn. Collegæ honori, commodis, famæq; insidi-  
as struxerim, annon potius animum gesserim in omnium & sin-  
gulorum felicitatem benivolum atq; propensum. Testor Vos,  
annon ex imis sinceritatis visceribus in votis habuerim & reipsâ  
pro viribus allaborârim, ut tam Inferioribus, quam Superioribus  
Dn. Collegis, ab omnibus & singulis discipulis, suis Divinis præ-  
ceptis postulatus ac congruus honos, constaret, & omnia in  
Scholasticâ etiam societate, ordine ac decenter transigerentur.  
Sapientissimus Scholarum Protector Vestra etiam salutis ac veræ  
felicitatis curam gerat fidelem: Dirigat mentes Vestras, ad Sui  
Summi & Sanctissimi Nominis gloriam cum magis magisq; agno-  
scendam, tum in dies ardentius exercendam, propagandam, ur-  
gendam. Gubernet consilia ac proposita Vestra ad Timorem  
Dominii teneræ ætati instillandum, ad peccata Ipsius, utilissimâ,  
quantum in illam cadit, Voluntatis Divinæ eruditione ac Pietate  
imbuenda, ad solidæ Virtutis, Modestiae, atq; laboris consultis  
studia ac vitam ipsius instruendam. Provehat omnes operas  
Vestras salutares, in fines salutares. Evidem, qvicqvad ullâ oc-  
casione grati atq; accepti in Vos, vel Vestros à me proficiac re-  
dundare poterit, qvicqvad candore, qvicqvad fide, qvicqvad be-  
nevolentia, qvicqvad officiorum promptitudine unquam potero,  
id omne Claritatibus ac Præstantiis Vestris sanctè polliceor atq;  
defero. Unicum hoc à Vobis saltem humaniter desidero, ut ho-  
nestam ac benivolam mei memoriam conservetis: & si fortè ca-  
lumniæ quædam procella suboriretur, eam candidâ ac decorâ  
Vestrâ existimatione deleatis. Jam Vos, JUVENES & ADOLE-  
SCENTES Politissimi, Discipuli hactenus & Auditores tenerri-  
mò amoris affectu complectendi, ultimum compello. Et qvem-  
admodum omnibus in societatibus & boni & perversi, & recti &  
incurvi vestigia licet reperire; Ita multorum Juvenum ac ado-  
lescentum, Discipulorum meorum carissimorum, amorem, reve-  
rentiam, obedientiam, ac in regiâ virtutum viâ incedendi atq;  
se-  
qvandi propensionem, dilendi atq; in literarum studiis profici-  
endi ardorem ac diligentiam, non possum non jam publicò elo-  
giò declarare, prædicare, celebrare. Meam verò fidem, (absq;  
jactantiâ in Divinæ gratiæ laudem qvod dixerim) meam inte-  
grita -

gritatem, meum studium ac zelum, dextrâ informatione ac salubri affectione Vos non tingendi tantum, sed & imbuendi, nos-  
tis. Nostis, qvâm præcipua operarum ac consiliorum meorum  
cura atq; industria illam propositam sibi habuerit metam, ut im-  
biberetis eam cognitionem ac Sapientiam, qvæ omnem humanam  
peritiam doctrinamq; longissimè post se relinqvit ; agnitionem,  
qvanta à Vestra ætate, præsentibus dextris ac utilibus adminiculis  
atq; adjumentis, exspectari potest, Nominis Divini ; timorem  
Vestri Creatoris, Redemptoris, Regeneratoris ; & cum hujus vi-  
ta felicitate, tum æternæ gloriæ beatitudine circumfluentem,  
Pietatem. Nostis qvomodo, labore qvantum contendere potui,  
qvantum industriâ conniti, eò animum intenderim, ut non tan-  
tum pectus Vestrum accuratâ & solidâ literarum & artium eru-  
ditione repleretis, verum etiam animum præstantissimò virtutum  
munimento confirmaretis, adeoq; de aliis hominibus aliquando  
benè merendi & scientiam facultatemq;, & voluntatem procli-  
vem atq; honestam acqvireretis. Nostis, qvâm seriô & ex inti-  
mis animi recessibus profectô zelô à levitatis, temeritatis, arrogan-  
tiæ ac ferocitatis luxurie, ad actionum, verborum, gestuum &  
mentis modestiam, Vos incenderim atq; instigârim. Nostis, qvan-  
tam curam, qvantam operam, qvantas cogitationes in eô ponere  
solitus sim, ut laboris & assiduitatis fervorem Vobis commenda-  
rem, & affectu Paternô Vos monerem,

Ne molles transire dies, aut tempora luxu  
pateremini, cum virtutis rami è laboribus atq; sudoribus produ-  
cantur, & nihil tam arduum sit, qvod non expugnet intenta ope-  
ra & diligens cura. Nostis, qvânta caritate Vos sim amplexatus,  
qvâm in oculis Vos gesserim, qvâm Vestra salus ac futura felicitas  
mihi hæserit in medullis. Jam verò Vobis acclamo ultimum VA-  
LE. VALETE, Animulæ meæ, VALETE. DEUS O. M. gubernet  
semitas Vestrarum ad Majestatis Suæ Infinitæ decus illustrandum,  
ad Ecclesiæ fructus salutares, ad Reip. haut fucatum emolumen-  
tum, ad Familiarum Vestrarum ornamentum ac gaudium, ad  
Vestrarum ipsorummet salutem atq; incrementum. Qvod si ali-  
quando occasio suppetet rebus ac studiis Vestrarum consulendi, ope-  
ram dabo, ut Vobis nullum à me amoris, nullum benivolentia,  
nullum ornandi officium defuisse videatur. Nihil verò à Vobis

iterum exigo, nisi ut animo grato ac memori mihi sitis affixi: honestam de me foveatis existimationem, ac famae meae contra malitia ac vitorum insultus sitis defensores atque propugnatores. Tandem Vobis, AUDITORES O. O. Honoratissimi, gratias quas possum, quas debeo, ago habeoque; nunquam intermorituras, quod splendidam ac conspicuam Vestram presentiam Valedicenti mihi non recusat, sed ad aures humanas ac benevolas presentandas fueritis prompti atque parati. Omnes Valete.

Omnes Favete. DIXI.

Mōra Δόξα τῷ Θεῷ.

TESTIMONIUM MAXIME REVERENDÆ  
FACULTATIS THEOLOGICÆ ROSTOCHIENSIS.  
DECANUS, SENIOR, CETERIQUE PROFESSORES  
FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA  
ROSTOCHIENSI

## Benivolo LECTORI

S. P. D.

**M**emorabilis illa SALVATORIS, eademque triplicata de charactere veri Discipuli sententia est, quam inter Amanuenses S. Spiritus Evangelistas praecipue consignavit Lucas c. XIV. v. 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo etiam animam suam, non potest meus esse Discipulus. v. 27. Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse Discipulus. v. 33. Qvisquis non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse Discipulus: ad quae Christi verba pro sua conscientiae teneritudine totus contremuit Origenes. Ita sc. Christianos & praecipue futuros horum Doctores & Duces, non ad inanum quæstionum, & inutilium argutiarum labyrinthos, non ad externam, candemque Scenicam & Theatricam potius quam verè Practicam solidamque nominis Christiani professionem: sed ad

Subli-

*Sublimem illam Theologiam, ad absolutissimam dilectionis  
& gloriae Dei prælaturam, abdicandorumq; omnium illo-  
rum, qvæ ceteroq; ex benedictione Dei possidentur, vel  
ex Providentiæ Divinæ gratosæ dono obtinentur, inq;  
decenti veneratione habentur, hujus seculi bonorum, si-  
ve sint ῥάματα, sive χρήματα, quantumcunq; & qvomodo-  
cunq; pretiosa nobis & jucunda, post habendorumq; uni-  
us Numinis, & nominis JESU dilectioni & gloriæ prothy-  
miam, ad Crucis Sapientiam vocavit, velut extra qvam  
Christiani pariter & Theologi professio delicata est, & si-  
ne Conflictatione jactatio, ipsiq; qvi illō nomine censem-  
tur, dum in hujus seculi deliciis, luxuriâ, opibus, hono-  
ribus studia sua ponunt, dum otium potius, qvam opero-  
sum virtutis studium petunt, & ante qvam vincunt, præ-  
properè Coronam exigunt, Spectatores magis sunt,  
qvam præliatores, cum contra qvos manet gloria, illos  
expectet injuria, ac illam Crucis, qvam ὡλόσταγχος di-  
lectissimis immittit Filiis Sapientiam, seu illius intelligen-  
tiæ, selectissimo argento, auro, carbunculis præferat ὁ Σωφό-  
ς, Beatum proclamans, qui illam consequatur. Prov. III.  
11. 12. 13. 14. 15. Ita & alibi ὁ Σωφός non ad obscuram qvandam  
& tenebrisam humunculorum nova qvædam  
Comminiscentium, suisq; opinionibus, somniis, placitis,  
ac inventiunculis veram Christi doctrinam obscurantium  
matæologiam Scholasticam: sed ad veram, & incompa-  
rabiliter sublimiorem Philosophiam Discipulos suos vo-  
cavit, dum intonuit illud: BEATI qui in hoc seculo lugent,  
BEATI qui sunt mites, BEATI qui esuriunt & sitiunt iustiti-  
am, BEATI qui sunt misericordes, BEATI qui sunt mundo  
corde, BEATI qui sunt pacifici, BEATI quos persequuntur  
homines iustitiae causâ. Matth. V. à v. 3. ad v. u. Invitavit,  
ut auscultaremus sibi SAPIENTIAE Discipulos acclama-  
ti: DISCITE A MÆ, QVOD MITIS SIM ET HUMILIS  
CORDE. Matth. XI. 29.*

Atq;

Atq; illō nomine Veræq; illius Theologiæ studiō &  
praxi commendandus est *Vir Clarissimus Dominus DANI-  
EL LIPPIUS* Lübecensis, Philosophiæ Magister & S. S.  
Theolog. Cultor Veteranus & laudatissimus, Amicus  
noster dilectus: Licet enim non saltim in Philosophicis  
& Philologicis Sanctoribus Studiis, qvibus elegantia in-  
genia præparantur ad superiorū disciplinam tantò accu-  
ratius sibi comparandam, omne punctum tulerit; sed &  
Sacratissimæ Theologiæ, qvò dīdākūs; aliquando esset, &  
utibile in domō Domini instrumentum, incredibili stu-  
diō, indefessō diurnō nocturnoq; labore, nec sine illustri  
~~εργοτη̄~~ primariam operam accommodaverit, ut aliquan-  
do talis evaderet, qvalem Presbyterum in *Timotheo suo*  
describit Paulus, & in alterō *Timotheo* Isidorus ep. 146.  
tamen qvò id obtineret, commendatissimas ubiq; sibi  
habuit & superiores D O M I N I J E S U regulas, & illam  
à Paulō præscriptam Timotheo: *Esto exemplar fidelium in  
sermone, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide,  
in castitate, intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinae:  
Hæc meditare, & id age, ut tuus profectus manifestus sit inter  
omnes.* 2. ad Tim. II. 24. 25. A Nobilissimo & Amplissimō  
Senatu Wismariensi ad ConRectoratum Scholæ Anno  
cl̄ Iōc LXV. vocatus, Spartam honorificè oblatam re-  
verenter admisit, studium cupidissimumq; benè de Ado-  
lescentiâ sibi commissâ merendi animum, unâ cum pati-  
entiâ ærumnarum, variarumq; qvæ in illō pulvere Scho-  
lasticō Spartanâ lèpè generositate sunt concoquendæ,  
molestiarum, amplissimè probavit, sic, ut nos spes certa  
foveat, gratiam DEI in ipsum collatam, in illō munere,  
commissâq; illi parte apud qvosdam elegantes animos  
inanem non fuisse. Ceterum cum functio illa Schola-  
stica à Studiō Theologiæ, cui penitus incumbere, fixum  
ipsi sedebat, longius avocaret, missionem, qvam reve-  
renter

renter poposcit, honorificam, nec sine testimonio impe-  
travit. Reversus ad nos rationem instituti sui Proposi-  
tiq; intimius explicuit, nec nisi ~~magis~~ hinc exire  
voluit, cui proinde honestè petenti testimonium præsens  
communi consensu decrevimus. Nunc qvod superest  
**DEUM OPT. MAX.** ut ex altô benedicere, laudatumq;  
**DN. M. DANIELEM LIPPIUM** organum facere velit Suo  
Nomini gloriæq; propagandæ, & ipsi Ecclesiæ decorum  
ac publicè utibile, submississimè oramus, & obtestamur:  
Illustribus autem studiorum Sanctiorum Mæcenatibus &  
Ecclesiarum Patronis Virum Clarissimum, ut faveant,  
& patrocinium ipsi liberaliter accommodent, eâ qvâ fas  
est, reverentiâ & humanitate, commendamus. Dabatur  
sub Sigillô Collegii nostri Theologici, Rostochii  
d. XIV. April. A. O. R. cIc lcc LXXVII.



L.S.

TESTIMONIUM MAGNIFICI SENATUS  
WISMARIENSIS.

**W**ir Bürgermeistere und Raht der Stadt Wismar urkunden und bekennen hiemit/ das wir den Woll-  
Chrenvesten und Wollgelahrten Herrn M. Daniel Lip-  
pium, vor etwa 2. Jahren zum Con-Rectore dieser unserer  
Stadt Schuelen vociret und benennet haben; Ob wir nun wol zu  
unseren Theil gewünschet hetten/ daß wir zu beyden Theilen bey der  
damahls aufgefertigter Bestallung länger und beständiger hetten  
verbleiben können/ immassen desz Herr: Conrectoris sonderbahre E-  
rudition

Fudition und gute methode in informatione sich in vahender Zeit  
gnugschm hervor gethan/ daß wir auch dieser wegen mit demselben  
ganz woil hetten zu frieden sein können; Als aber dennoch des  
Herrn Con-Rectoris Gelegenheit nicht zugelaßen/ der mühsahmen  
Schularbeit länger obzuliegen/ Ihm also selbst beliebet/ seyn Officiū  
Uns zu resigniren/ und seine dimission zu bitten/ immassen er größere  
Beliebung trüge in Predigten sich fürters zu exerciren/ und der-  
mahlens nach Gottes Willen in Ministerio gebrauchen zu lassen;  
So haben wir auch diesem seinem Begehrten Raum unstaatt gegebē.

Als er aber auch umb disz unser Gezeugniß zu seinem Abschiede  
angesuchet/ haben wir dasselbe zur steuor der Wahrheit nicht verhal-  
ten wollen/ einen jeden nach Standes Gebühr unterthänigst/ unter-  
Dienst und freundlichen Ersuchen/ er beliebe diesem unsre Gezeugniß  
nicht allein vollenkommen Glauben bey zu legen/ besondern auch dem  
Herrn M. Lippio seiner guten Fudition und beywohnenden pietät  
halber allen beförderlichen und guten Willen zu erweisen; welches  
wir in Begebenheiten gerne wieder erkennen/ Gegeben unter unse-  
rem Rahts Insiege/ den 15. May Anno 1677.

L. S.

FINIS.


O Ratio de Civilis Eloquentiæ Origine ac Uſu, Ejusdemq; dex-  
trè acqvirendæ Methodo, circa Introductionem meam ad  
Con-Rectoratum Wismariensem in Æde Monachorum Scholæ  
proximâ, anno LXXV. publicè à me habita, huic alteri præmit-  
tenda, in posterum evv addetur, luciq; tradetur.


ae











odium ac zelum, dextrâ informatione ac salu-  
os non tingendi tantum, sed & imbuendi, no-  
nâ præcipua operarum ac consiliorum meorum  
illam propositam sibi habuerit metam, ut im-  
itationem ac Sapientiam, qvæ omnem humanam  
nq; longissimè post se relinqvit ; agnitionem,  
ite, præsentibus dextris ac utilibus adminiculis  
exspectari potest, Nominis Divini ; timorem  
edempotoris, Regeneratoris ; & cum hujus vi-  
æternæ gloriæ beatitudine circumfluentem,  
qvomodo, labore quantum contendere potui,  
conniti, eò animum intenderim, ut non tan-  
a accuratâ & solidâ literarum & artium eru-  
verum etiam animum præstantissimô virtutum  
maretis, adeoq; de alis hominibus aliquando  
cientiam facultatemq;, & voluntatem procli-  
acqvireretis. Nostis, qvâm seriô & ex inti-  
s profectô zelô à levitatis, temeritatis, arrogan-  
tiae, ad actionum, verborum, gestuum &  
Vos incenderim atq; instigârim. Nostis, qvan-  
tum operam, qvantas cogitationes in eô ponere  
is & assiduitatis fervorem Vobis commenda-  
rnô Vos monerem,  
s transire dies, aut tempora luxu  
rtutis rami è laðoribus atq; sudoribus produ-  
arduum sit, qvod non expugnet intenta ope-  
Nôstis, qvantâ caritate Vos sim amplexatus,  
gesserim, qvâm Vestra salus ac futura felicitas  
ullis. Jam verò Vobis acclamo ultimum VA-  
mulæ meæ, VALETE. DEUS O. M. gubern-  
d Majestatis Suæ Infinitæ decus illustrandum,  
salutares, ad Reip. haut fucatum emolumen-  
m Vestrarum ornamentum ac gaudium, ad  
et salutem atq; incrementum. Qvod si ali-  
petet rebus ac studiis Vestris consulendi, ope-  
nullum à me amoris, nullum benivolentia,  
cium desuisse videatur. Nihil verò à Vobis  
ite.